UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum ; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

Aloe Amari sed salubris succi Ieivnivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-77031

Visual Library

# ALOE

## AMARI SED SALVBRIS SVCCI

# IEIVNIVM.

## LIBER PRIMVS.

### *QVARE IEIVNANDVM.*

### CAPVT I.

*Ingreſſus ad inſtitutum : Quid Abſtinentia ſit: Quædam ejus encomia.*

TABELLARIVS è cælo Raphaël confecto itinere cum Tobiâ juvene, perſonam demum poſuit, quam in viâ geſſerat. Tunc dixit eis occultè: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. Etenim ſacramentum regis abſcondere bonum eſt : opera autem Dei revelare & confiteri honorificum eſt.*

*Tob. c. 12. v. 6. & 7.*

Hîc ſenior Tobias interrogarit : Quódnam hoc ſacramentum, quænam hæc opera ſunt? Ad quæſtionem hanc Angelus: *Bona eſt*, inquit, *oratio cum jejunio & eleemoſynâ, magis quàm theſauros auri recondere.* Tale quid eſt oratio, ut, ſi geminum & ab eleemoſynis, & à jejuniis habeat ſubſidium, inter labores pretioſiſſimos rectè numerari poſſit, & illo longè melior ac pretioſior, qui arcas auro ſtipat. Bona eſt oratio, ſed bona cum eleemoſynâ, bona cum jejunio. Theſaurus eſt oratio, non monetæ vilioris, non nummulorum, non ſeſtertiorum, non philippeorum, ſed aureorum, ſed gemmarum, pretioſior omni theſauro.

*Ibid. v. 8.*

Oratio eſt theſaurus pretioſior omni theſauro.

Epictetus, teſte Gellio, dicere ſolebat : Orbem univerſum gemina vaſtant vitia, multò omnium graviſſima ac teterrima, Intolerantia & Incontinentia : cùm aut injurias, quæ ſunt ferendæ non ferimus ; aut à quibus rebus voluptatibúſque nos continere debemus, non continemus. Hoc inde provenit, cùm dextrum hominis brachium, validum nimis & pugnax, & lævum imbelle nimis & invalidum eſt. Intolerantiá eſt, quæ nihil injuriarum concoquere, adverſorum nihil perferre poteſt, velut ſiniſtrum brachium exhauſtis viribus, nullius roboris, quavis injuriolâ provocatur ad rixas. Mores hominum conſidera, & videbis Intolerantiam turpiſſimam. Sunt quos vel digitulo tangere ſit nefas, obliquo ferire oculo, capitale cenſeatur; quævis offenſiuncula gladio vindicanda creditur. Hinc controverſiarum ubique plurimum, hinc lites innumeræ. Hæc peſtis ab Intolerantiâ eſt. At verò Incontinentia, veluti dextrum brachium nimis bellicoſum, & in propriam perniciem præfervidum:

*Gell. l. 17. Noct. Att. c. 19.*

Intolerantia & incontinẽtia orbem vaſtant univerſum.

A cùm voluptatis fames coërcenda, cùm appetentia cibi potúſque refrenanda, cùm petulantia oculorum reprimenda ; ſuum illud brachium Incontinentia vibrat, arceri à re cupitâ non ſuſtinet, pro ſe in ſuum exitium pugnat. Conſcientia, ratio, lex divina frenos injicere conantur, ſed Incontinentiæ furor erumpit, & campos pervolat apertos.

Quid hîc remedij ? quid agendum ? Geminas dictat voculas Epictetus, ἀνέχου & ἀπέχου. Itaque, inquit, ſi quis hæc duo verba cordi habeat, eáque ſibi imperando atque obſervando curet, is erit pleraque impeccabilis, vitámque vivet tranquilliſsimam. Suſtinendo & Abſtinendo malum omne vincitur. Pulſat injuria, vexat fortuna adverſa ? Suſtine. Voluptas allicit, & dulce toxicum propinat ? Abſtine, abſtine.
B Ita utrimque tutiſsimus tranſibis.

*Suſtine, abſtine.*

Suſtinẽdo & abſtinẽdo, omne vitium vincitur.

Bona igitur eſt oratio, ſed bona eſt cum jejunio. Oratio pharmacum eſt omnibus vitiorum morbis congruum. Omnem animi labem corrigit oratio. Submiſsionem aliquis & modeſtiam ambit? oret. Caſtimoniam expetit? oret. Sobrietatem gerit in votis? oret. Vitiis cogitat bellum indicere ? oret, & magno animo ſperet victoriam. Oratio in omnes noxas validiſsimè pugnat : tunc autem vincit & triumphat, quando tam eleemoſyna quàm abſtinentia conjunctis ſecum viribus certant. Cùm ergo Intolerantia & Incontinentia in omne nos malum præcipitent, Eleemoſynam Intolerantiæ, Abſtinentiam Incontinentiæ opponimus. Eleemoſyna, quam vocamus ſacram, omnium injuriarum tolerantiſsima inimicis omnibus ignoſcit. Hæc vera Chriſtianorum tolerantia eſt. At verò Iejunium & Abſtinentia gulæ moderari, cibi potúſque appetentiam coërcere, fraudare genium novit. Hæc vera Chriſtianorum continentia eſt. Ita ſuſtinemus, ita & abſtinemus. Bona eſt oratio cum jejunio.

Oratio omnibus vitiorum morbis eſt pharmacũ cógruum.

En igitur non tantùm ſapientis Epicteti, ſed & Raphaëlis Archangeli præceptionem ſaluberrimam, patientiæ, ceteriſque virtutibus jungendam Abſtinentiam, orationem jejunio firmandam.

De Oratione, quam Cæleſtem Rhetoricam appellamus, jam actum eſt libro ſingulari, uti etiam de Eleemoſynâ, quam Gazophylacium Chriſti nominamus. Reſtat, ut etiam Abſtinentiam omnium pharmacorum pharmacum nobiliſsimum explicemus: quod hac ſcriptione facere paramus.

## §. I.

Tho. 2.2. q. 146. art. 1. & quæſt. 147. art. 1. & 2.

PRimum omnium hîc quæri poſsit: Quid eſt Abſtinentia, quid Iejunium? Hanc quæſtionem non anxiè ad auri libellam examinabimus. Compendio reſpondemus. Theologus Aquinas: *Abſtinentia*, inquit, *eſt ſubſtractio ciborum, quæ ratione gubernatur; nomen & dignitatem virtutis obtinet. Iejunium verò eſt actus virtutis Abſtinentiæ, cùm ad carnis macerationem, & mentis in Deum elevationem, ac culparum expiationem aſſumitur.* Fuit qui Abbatem Ypricium interrogaret; Quid eſt Iejunium? Cui ille: *Eſt*, inquit, *frenum adverſus peccatum.* Hoc freno incontinentia retinetur, ne cibis præcipitem injiciat manum.

Nos de Abſtinentiâ & Iejunio acturi, tria exequemur. Primum eſt, Quare jejunandum. Alterum, Quomodo jejunandum. Tertium. Quo fructu inſtituatur jejunium. Primum parte primâ diſſertationis noſtræ, duo altera parte ſecundâ explicabimus. Fundamentum jecimus: *Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna.* Hoc fundamento nixus Auguſtinus: *Hæc eſt*, inquit, *juſtitia hominis in hac vitâ, jejunium, eleemoſyna & oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, jejunium & eleemoſynam.*

Tob. c. 12. v. 8. Aug. in pſ. 42. fine.

Abſtinentia Chriſtianis ſemper laudatiſſima virtus eſt habita. *Nos*, inquit Hieronymus, *creaturam Dei omnem laudamus; ſed maciem ſaginæ, abſtinentiam luxuriæ, jejunia præferimus ſaturitati. A diebus Ioannis Baptiſtæ jejunatoris & virginis, regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Timemus enim, ne ab adventu æterni Iudicis, ſicut in diebus diluvii, & everſionis Sodomæ ac Gomorrhæ, deprehendamur manducantes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes. Nam & diluvium, & ignis de cælo ſaturitatem pariter & nuptias, quas deleret, invenit.* Subjungit Hieronymus: *Elias quadraginta dierum jejunio præparatus Deum videt in monte Horeb, & audit ab eo: Quid tu hîc Elia? Multò familiarior iſta vox, quàm illa in Geneſi:* Adam ubi es? *Hæc enim paſtum & perditum Adam terrebat: illa jejunanti famulo blandiebatur.*

Hieron. l. 2. adverſus Iovinianũ. Loc. cit. Gen. c. 3. v. 9.

*Advertamus ergo*, inquit Auguſtinus, *quanta ſit inter jejunium & ſaturitatem diſtantia, inter ventrem vacuum & pulmones epulis diſtentos. Moſes quia jejunavit, Dominum vidit. Populus quia manducavit & bibit, idola fabricavit. Impetraverunt unius hominis jejunia, quod totius populi ſaturitas deſperaverat. Princeps humani generis Adam, quamdiu jejunavit, in paradiſo fuit: ubi verò comedit, ejectus eſt de paradiſo. Ejecit ergo nos de paradiſo cibus: reducat eſuries, reducat jejunium. Semper enim juncta eſt ſaturitati laſcivia. Sancto Eliæ jejunanti etiam elementa famulata ſunt. Videte, chariſſimi, quanta ſit Dei clementia erga jejunantes.*

Aug. to. 10. ſerm. 65 de Tempor. qui eſt ſerm. 2. de Dom. 1. Quadrag. mihi pag. 275. Eodem tom. ſer. 33. ad fratres in eremo, mihi pag. 731. Quãdiu Adam abſtinuit, tamdiu obediens fuit, tamdiu bonus, ſanctus & juſtus permanſit.

Sed, inquies, cur Eliæ Deus panem & aquam tantùm, non etiam ſubmiſit prandium, ſicut Danieli in cavum leoninum? Auguſtinus reſpondens, *Sciebat Deus*, inquit, *prophetam ſuum tentantem diabolum aliter ſuperare non poſſe, niſi jejuniis eruditus inſidiantis inimici tentamenta depelleret.*

Idcirco ipſe Dei filius à diabolo tentandus jejunavit. Non Phariſæorum tantùm, ſed & Ioannis, ſed & Chriſti diſcipuli jejunarunt. Prædicens Chriſtus: *Venient dies*, inquit, *cùm auferetur ab eis ſponſus; & tunc jejunabunt.* Paulus non tantùm in laboribus ac vigiliis, ſed & in jejuniis multis ſe Dei miniſtrum exhibuit. Cornelius Centurio Romanus quatriduo toto jejunus preces perpetuavit.

Matth. c. 4. v. 2. Luc. c. 4. v. 2. Matth. c. 9. v. 14. Marc. c. 2. v. 20. 2. Cor. c. 6. v. 5. Act. c. 10. v. 30.

## §. II.

Ita Chryſ. hunc locum explicat. Baſil. Magnus hom. 1. de jejunio, ante med.

BAſilius Magnus jejunium meritis elogiis extollens: *Vno*, inquit, *temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Ægyptiacam idololatriam turpiſſimè devolutus eſt. Ex quo ſi utrumque ſimul conferas, videre licet, jejunium ad Deum ducere, delicias verò ſalutem perdere. Quid Eſau inquinavit, ſervúmque fratris reddidit? nónne eſca una, propter quam primogenita vendidit? Samuelem verò nónne per jejunium oratio largita eſt matri? Quid fortiſſimum Samſonem inexpugnabilem reddidit? nónne jejunium, cum quo in matris ventre conceptus eſt? Iejunium concepit, jejunium nutrivit, jejunium virum effecit. Quod ſanè Angelus matri præcepit, monens, quæcumque ex vite procederent, ne attingeret, non vinum, non ſiceram biberet. Iejunium prophetas genuit, potentes confirmat atque roborat. Iejunium legiſlatores ſapientes facit: animæ optima cuſtodia, corporis ſocius ſecurus, fortibus viris munimentum & arma, athletis & certantibus exercitatio. Hoc præterea tentationes propulſat, ad pietatem armat, cum ſobrietate habitat, temperantiæ opifex eſt: in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet: Nazaræum ſanctificat, Sacerdotem perficit.*

Elogia jejunii.

Sapienter dictum: Si ſciret mundus, quanta vis in abſtinentiâ & jejunio lateret, nullis hac in re opus foret legibus. Et veriſſimè ſummus Antiſtitum Leo dicit: *Quid poteſt efficacius eſſe jejunio, cujus obſervantiâ appropinquamus Deo, reſiſtimus diabolo? ſemper virtutibus jejuniũ fuit. De abſtinẽtiâ denique prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora cõſilia; & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentiis moritur, virtutibus ſpiritus innovatur.*

Leo ſerm. 2. de jejunio decimi mẽſis & collectæ.

Iejunium adeò placet Deo, ut vel ipſa etiam jejunii umbra in infantulis, & in ipſis quoque jumentis placeat. Vrbs Ninive non tantùm infantulorum cunis, ſed & jumentorum præſepiis jejunia indixit, propitiando Numini. Quòd ſi ad delendas noxas adjumento fuit vel abſtinentiæ umbra, quid non ipſa valebit efficere abſtinentia?

Ambroſius in jejunii elogiis liberaliſſimus ſcriptor: *Quis*, ait, *deterioravit domum ſuam jejunio? quis imminuit facultates? Cui non ſuſpecta luxuries? cui non venerabilis abſtinentia? Cujus torum appetivit parſimonia? cujus pudorem non læſit ebrietas? Iejunium continentiæ magiſterium eſt, pudicitiæ diſciplina, humilitas mentis, caſtigatio carnis, forma ſobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miſerationis expenſa, lenitatis inſtitutio, charitatis illecebra, ſenilis gratia, juventutis cuſtodia. Iejunium eſt bonum itineris viaticum, bonum totius vitæ. Qui grave dicunt jejunium eſſe, reſpondeant quis jejunio defecerit. Multi in prandio, plerique dum vomunt epulum, fudêre animam. Quod poſtremò animal jejunium ſibi cauſſam fuiſſe mortis ingemuit? Per eſcam laqueus non cavetur, in eſcâ hamus latet, & cibus deducit in foveam, cibus inducit in retia, cibus viſco etiam aves illigat, volantes deponit ad mortem. Iejunium ſobrietas mentis eſt, hoc vigent ſenſus, in hoc judicia tractantur, in convivio pocula. Iejunium cuſtodit diſciplinam, luxuriam ſequitur inopia. Iejunium quietem diligit, luxuria inquietudinem. Obſonator eſt, qui, antequam luceat, fores alienas pulſat, & tamquam bellum immineat, excitat dormientes. Turbatum vides, anhelantem advertis, interrogas quæ cauſſa perturbationis ſit: Poſcit, inquit, dominus meus, ubi vinum melius, ubi ſumen mollius, ubi phaſianus pinguior, ubi piſcis recentior væneat.* Hæ nimirum ventris curæ ſunt; ſine his quietum proficit jejunium. Hinc idem Ambroſius: *Quæ nobis*, inquit, *ſalus eſſe poteſt, niſi jejunio eluerimus peccata noſtra, cùm ſcriptura dicat: Iejunium & eleemoſyna à peccato liberat? Qui ſunt ergo hi præceptores novi, qui meritum excludunt jejunii.*

Ambr. tõ. 4. l. de Eliâ & jejunio c. 8. mihi pag. 292.

Idem to. 3. l. 10. epiſt. ep. 82. mihi pag. 240.

## §. III.

DIvus Athanaſius in cautelam ſollicitè præmonens: *Si accedant aliqui*, ait, *& dicant tibi, ne frequenter jejunes, ne imbecillior fias; ne credas illis, neque auſcultes; per iſtos enim inimicus hæc ſuggerit:* Iámque recitatis è paginâ ſacrâ teſtimoniis hæc ſubjungit: *Vidéſne quid faciat jejunium? Morbos ſanat, diſtillationes corporis exſiccat, dæmones fugat, pravas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus ſanctificat, denique ad thronum Dei hominem ſiſtit. Et ne putes hæc temerè dici, habes hujus rei teſtimonium in Evangeliis à Salvatore prolatum. Cùm*

Athanaſius tom. 3. l. de Virginitate. ſeu, de meditatione, poſt init.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*enim quæſiviſſent diſcipuli, quónam modo immundi ſpiritus ejicerentur, reſpondit Dominus: Hoc genus non ejicitur niſi in oratione & jejunio. Quiſquis igitur ab immundo ſpiritu vexatur, ſi hoc animadvertat, & hoc pharmaco utatur, jejunio inquam, ſtatim ſpiritus malus oppreſſus abſcedet vim jejunii metuens. Valde enim dæmones oblectantur crapulâ, & ebrietate, & corporis commodis. Magna vis in jejunio.*

Non immeritò Chryſoſtomus miratur à plurimis jejunium veluti feram horribilem timeri. Cùm enim Quadrageſimæ dies accedunt, jejunium tamquam hoſtem infenſiſsimum horreſcunt, & ideo ventrem ſtabiliunt, ſtomachum inferciunt, hilaria celebrant, comeſſationibus & potationibus ſe muniunt, & hoc unum ſatagunt, ut cibi ac potûs quàm plurimum glutiant & hauriant. Quod eò faciunt, ut, ſi fieri ullo modo poſſet, nihil jejunii & famis ad ipſum uſque diem paſchatis ſentirent. Ita civitas, quæ hoſtis adventum & obſidionem metuit, vario ſe commeatu inſtruit. Longè aliter olim Chriſtiana pietas egit. Nam, beato Maximo teſte, ad quadragintadiale jejunium precibus ac jejuniis ſeſe parabant, ut ventrem nonnihil jam aſſuefactum ad eſuriales dies adferrent: *Nonnullorum*, inquit, *eſt conſuetudo, advenientes Quadrageſimæ dies devotiore jejunio prævenire.* Quid igitur, Chriſtiane, times, quod non tantùm non timendum, ſed deſiderandum & modis omnibus expetendum? quid times ea, quæ ſaluti ſunt, & non times, quæ interitum afferunt?

*Maximus Taurinenſis Epiſc. hom. in die cinerum initio mihi pag. 69.*

*Ambr. to. 3. ſer. 39. mihi pag. 326.*

Ambroſius, ut plurimorum adverſus jejunium frigidiſsimas excuſationes retundat, & jejunii metum adimat: *Ita homines*, inquit, *quorum animus ſemper eſt in prandio, prandendi ſibi cauſſas inquirunt; & dum ſe à jejuniis excuſant, tempora creatoris accuſant. Hi æſtate ſitim, hieme famem tolerare nequeunt. Grave frigus eſt, inquiunt, eſcis caleſieri nos oportet.* Alii imbecillitatem virium, ſtomachi debilitatem, capitis intemperiem, ſomni defectum & vertiginem, alios alii ſpecioſiſsimos titulos prætendunt culpæ: in omnem ſe partem verſant, ut jejunii legibus ſolvantur; jejunium ut hoſtem extimeſcunt.

*Senec. ep. 4. mihi pag. 392. & ep. 108. mihi 634.*

**Senecæ abſtinentia.**

Quàm autem natura & ratio ſana jejunium & abſtinentiam non abhorrent! quàm illud hilariter complectuntur! Annæus Seneca è naturæ ac rationis dictamine: *Parabile eſt*, inquit, *quod natura deſiderat, & expoſitum; ad ſupervacua ſudatur. Ad manum eſt, quod ſatis eſt. Quantulum illud quod naturæ datur? parvo ea dimittitur.* Nec ſolùm laudavit abſtinentiam Seneca, ſed & ipſe abſtinentiſsimus. *Cùm verò Attalus*, inquit, *commendare paupertatem cœperat, & oſtendere, quàm quidquid uſum excederet, pondus eſſet ſupervacuum, & grave ferenti; cùm cœperat voluptates noſtras traducere, laudare caſtum corpus, ſobriam menſam, puram mentem, non tantùm ab illicitis voluptatibus, ſed etiam ſupervacuis: libebat circumſcribere gulam & ventrem. Inde oſtreis boletiſque in omnem vitam renuntiatum eſt. Hæc enim non cibi ſed oblectamenta ſunt, ad edendum ſaturos cogentia: quod gratiſſimum eſt edacibus, & ſe ultrà quàm capiunt farcientibus, facilè deſcenſura, facilè reditura. Inde in omnem vitam unguento abſtinemus; quoniam optimus odor in corpore eſt nullus. Inde vino caret ſtomachus; inde in omnem vitam balneum fugimus.* Hæc abſtinentia Senecæ, qui non ſolùm cibi deliciis, ſed & vini potu abſtinuit admirandâ ſui victoriâ.

*Epictetus Enchirid. c. 56. mihi pag. 91.*

Epictetus ad omnem evitandam voluptatem ſobrius ſuaſor: *Si voluptatis alicujus imaginem*, inquit, *animo conceperis, moderare tibi, ne ab eâ moveâris. Sed & rem examina, & tibi ipſe deliberãdi præbe ſpatium. Deinde utriuſque temporis memento, tum ejus quo voluptate (cibi & potûs) perfrueris, tum ejus quo perceptâ jam voluptate dolebis, téque ipſe objurgabis. Atque his illa confer: Si abſtinueris, fore ut gaudeas, téque ipſe collaudes. Quòd ſi tibi ſuſcipiendæ rei videbitur eſſe tempus, cave ne te vincant ejus blanditiæ, ſuavitates & illecebræ: ſed illud oppone, quantò præſtantior ſit talis victoriæ conſcientia.* Refrenatio gulæ, pars maxima victoriæ adverſus univerſa vitia. Hæc in antecesſum ſuffecerit libaſſe.

## CAPVT II.

### *Iejunium reprimit carnis nequitias.*

*Nicephor. l. 11. hiſt. Eccleſ. c. 43.*

*Ioan. Subdiaconus libell. 4. n. 17. & 18. apud Roſvveid. mihi pag. 660.*

EVAGRIVS, Nicephoro teſte, ad Macarium Anachoretam ſub meridiem reviſit, cúmque fatigatione ac ſiti exhauſtus frigidam poſtularet, Macarius ad illum placidè; Mi fili, ait, contentus eſto hac umbrâ; multi enim viatores & navigantes eâ nunc carent. Evagrius vir mitioris ingenii ad tranquillitatem ſe componens, de Temperantiâ cœpit diſſerere. Cui Macarius: Confide, ô fili, ait, & bono eſto animo; ego jam totis viginti annis neque panem, neque aquam, neque ſomnum ad ſatietatem admiſi. Et panem quidem ad modicum libellæ pondus comedi, aquam ad menſuram parciſsimam bibi; cùm verò fatigatione cogerer, parieti acclinis, exiguam ſomni partem rapui. Hæc vitæ meæ methodus eſt.

**Mulcendo caro efferatur.**

*Pelagius libell. 10. n. 16. mihi pag. 597. apud Roſvveid.*

*1. Cor. 9. v. 27.*

Sanè vir iſte, qui corpori ſuo noverca extitit, exactè ſcivit, quod certâ experientiâ didicit; Corpus quantò molliùs haberetur, tantò nequius evadere, & ſolâ in hanc beſtiam clementiâ peccari. Hoc omnium ſapientum placitis ſemper confirmatiſsimum fuit, carnem plurimùm efferari mulcendo. Caro equus eſt indomitus, qui poppiſmis minimè placatur. Vis carnem flectere ad obſequium? Cave illam tractes ſuaviùs, perpetuis rigoribus duriter exercenda eſt, alioqui calce ferit, & ſeſſorem excutit. Daniel Abbas dicere ſolebat: Vigor corporis, languor animi. Quò enim magis fovetur corpus, eò magis ferocit & inſoleſcit adversùs animum. Hæc bellua beneficiis non cicuratur. Vox una omnium ſanctorum hominum eſt, Corpus caſtigatione aſſiduâ domandum. Hoc Prophetæ, hoc Apoſtoli, hoc ipſe Chriſtus & verbis & factis docuerunt: hoc quivis amicorum Chriſti cum Paulo contentiſſimè vociferatur: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Corpus ſeriò & aſſiduè caſtigandum eſſe, hac diſſertatione uberiùs docebimus. Quâ quidem ratione primam cauſſam, cur jejunandum ſit, explicabimus; ceterarum ſingulas capitibus ſingulis aſſignaturi.

### §. I.

*Prov. c. 29. v. 21.*

*Eccli. c. 33. v. 25.*

*Senec. ep. 8. initio.*

**Tantùm indulgendum corpori, quantùm bonæ valetudini ſatis eſt.**

*Idem ep. 14. initio.*

CVm ratio, tum experientia teſtatur, nucem arborem crebro lapidum jactu ad fertilitatem provocari; aſini tarditatem fuſtibus incitari; aſelli marini duritiem malleis molliri; lentiorem inceſſum equi calcaribus incitari; petulantiam pueri virgis corrigi; negligentiam famuli flagris aut colaphis emendari; projectam mancipii audaciam compedibus & catenis frangi; feminas Moſcoviticas verberibus placari. Ita prorſus petulans Caro ſicut nux aut aſinus, ſicut infrenis aut ceſpitator equus, ſicut mancipium & ceſſator ſervus eſt; hîc opus freno, calcaribus, baculo. Salomonis monitum eſt. *Qui delicatè à pueritiâ nutrit ſervum ſuum, poſteà ſentiet eum contumacem.* Salomoni Siracides aſſenſus: *Cibaria*, inquit, *& virga, & onus aſino: panis & diſciplina, & opus ſervo.* Atqui rationis ſervus eſt Corpus, panis igitur ſeu victus tenuis ac modicus, diſciplina & opus illi conveniunt. Annæus Seneca hîc ſanè Chriſtianam ſapientiam profeſſus, religioſiſſimè diſſerens: *Hanc ergo ſanam*, inquit, *& ſalubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Duriùs tractandum eſt corpus, ne animo malè pareat: cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis frigus arceat, domus munimentum ſit adverſus infeſta corpori. Multis ſerviet, qui corpori ſervit, qui pro illo nimiùm timet, qui ad illud omnia refert. Sic nos*

*gerere*

*gerere debemus, non tamquam propter corpus vivere debeamus, ſed tamquam non poſſimus ſine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, ſollicitudinibus onerat, contumeliis objicit. Honeſtum ei vile eſt; cui corpus nimis charum eſt.* Quis autem adeò ſceleris purus, ut in hanc culpam numquam impingat, ut corpori numquam ſerviat? Quandoque bonus dormitat Homerus. *Spiritus quidem promptus eſt, ſed caro infirma*, ſimul & ſubdola, quæ optimum quemque decipiat.

Matt. c. 26. v. 41.

Caro eſt primus hominis & maximus hoſtis.

Caro primus hominis & maximus hoſtis. Nullus diabolorum perinde homini nocere poteſt, ut ſua cuique Caro. Homo nefarius omnem mihi honorem poteſt eripere; ſed bonorum multa etiamnum retineo: Si quis mihi pecuniam omnem ſublegat, plurima relinquet non adempta: ſi quis adimat vitam, ſimul omnia rapuiſſe cenſebitur. Sed nec iſte injecit manum in immenſas opes: vitam immortalem, beatiſſimam æternitatem nolenti eripere nemo poteſt. Deus ipſe ſibi tantum in hominem licere noluit, ut beatitudine excluderet niſi beatitudinis contemptorem. At verò Caro innumeris beatitudinem, cælum, æternitatem rapit. Quî tandem? Mulcendo & fallendo.

§. II.

Sine carne diabolus plurimos ad grādia peccata nō pertrahit.

PHiliſtæi Samſonem numquam ſuæ poteſtatis feciſſent, niſi Dalilam in illum immiſiſſent: diabolus plurimos ad grandia peccata non pertraheret, niſi Carnem adjutricem haberet. Hæc illa cacodæmonis maleſuada conciliatricula eſt. Ratio & conſcientia primo pæne intuitu culparum nævos deprehendunt & pronuntiant: Hoc malum eſt: Hoc non licet: Hoc divinis legibus repugnat. At nequiſſima Caro: Quid umbras, inquit, metuimus? Audeamus aliquid. Facillimè luitur, quod delinquitur; unico gemitu eſt opus: dic, PECCAVI; & peccata omnia eluiſti.

His argumentatiunculis Caro divinam gratiam, cæleſte præmium, æternitatis theſauros rapit, capitaliſſimus, ſummus hoſtis. Et hunc tantum hoſtem tot obſequiis & ſervitiis permulcebimus?

2. Cor. c. 5. v. 10.

Tarſenſis Paulus de judicio ſupremo diſſerens: *Omnes nos*, inquit, *manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Cur Paulus ſervum nominat, & tacet Dominum? Cur ait, *propria corporis*, & non potiùs, *propria animi*? In promptu cauſſa eſt, ſi corpus nolit obſequi, actum eſt de ſpiritu; nequitia carnis vel optimos conatus animi corrumpit. Solet nonnumquam quæri: Quî fit, virum iſtum ceteroqui non prodigum, ære tamen alieno plurimùm laborare, & cum inopiâ graviſſimè conflictari? cùm tamen munus habeat non ſterile, ſtipendium recipiat non modicum, quî fit, ut ad ſaccum & mendicitatem tendat? Plerumque reſponſum hoc tale ſequitur: Vxorem habet, quæ rem familiarem diſſipat, quæ veſtium pompâ & pitiſſatiunculis furtivis ærarium domeſticum exhaurit. O miſerum maritum! ô egregium mendicum! Periiſti infelix, non tam tuâ quàm uxoris culpâ. Ita planè ſpiritûs cum Carne connubium eſt miſerabile, quando ſpiritus promptus eſt, & eſſe vult frugi, non autem vult Caro, uxor longè peſſima, quæ laborem cane & angue pejùs odit, quæ otium & delicias ſtudioſiſſimè ſectatur, quæ luxum & luxuriam proniſſima inhiat. Hac Carnis ſocietate ſpiritus corrumpitur, & in nequitiam cum nequiſſimâ carne degenerat. Idcirco Paulus: *Vt referat*, inquit, *unuſquiſque propria corporis, prout geſſit*. Hæ autem res geſtæ Carnis, hæc illius ſunt acta. Labores declinare, mollia quærere, curioſa indagare, lautè ac liberaliter edere, bibere, hilariter ludere, ſomno abundare, ſeipſam curare quàm molliſſimè. Hi mores Carnis ſunt; ita ſpiritus ad omne vitiorum genus blandè ſeducitur: ita ſummus noſter

Cur dicitur: *Propria corporis*, & non potiùs *propria animi*?

A hoſtis eſt Caro, & ipſo diabolo nocentior. Et huic tam capitali hoſti parcimus? hunc nutrimus & fovemus? non in hunc iram omnem evomimus? Servire carni, ſervitus turpiſſima.

§. III.

CAnit Eccleſia, & inſigniores Chriſti amicos hoc metro celebrat:

*Hic confitendo jugiter*
*Calcavit hoſtem fortiter,*
*Superbum ac ſatellitem.*

Quis hoſtis iſte, quis ſuperbus hic ſatelles? Vti cùm Philoſophus nominatur, Ariſtoteles Stagirita; cùm Apoſtolus, Tarſenſis Paulus; cùm Theologus, Gregorius Nazianzenus, veterum Theologorum ſummus, aut Thomas Aquinas deſignatur; Eccleſia Carnem appellat Hoſtem hoſtium primum ac peſſimum. B Huic ſuperbus Satelles diabolus ſeſe jungit, hæretque lateri comes individuus. In mille congreſſibus ac pugnis non vinceremur, niſi noſtra nos Caro proderet. Et uti fures, qui extra domum ſunt, facilè caventur, at furis inquilini piceatæ manus cuſtodiri vix poſſunt: ita prorſus duo aperti ac profeſſi hoſtes animi, mundus ac diabolus non difficulter caveri queunt; furis inquilini, Carnis inſidias quis umquam ſatis declinaverit? Domeſticorum furum multò peſſimus eſt Caro.

Eccleſia appellat Carnē, hoſtem hoſtium peſſimum.

Et quemadmodum cùm hoſtis civitatem obſidione cingit, nonnumquam in alterum ac tertium, in nonum etiam ac decimum annum diſtinetur ab occupatione per ſolam civium maſculam concordiam: at verò ſi hoſtis inquilinus, ſi civilis proditor ſit intra mœnia, actum eſt de urbe, non excludet hoſtem portis: ita prorſus trahentem mundum ſpernere, ſuadentem diabolum non audire, cordato facile eſt; C at verò blandientem carnem, domeſticum hunc hoſtem vincere, eúmque dolis ſuis exarmare, hoc opus, hic labor. Hinc ſingularis laus illa: *Calcavit hoſtem fortiter.* Quo tandem modo, quo ſtratagemate?

*Virtute clarus & fide,*
*Confeſſionis ordine,*
*Iejuna membra deferens;*
*Dapes ſupernas obtinet.*

Abſtinentiâ & jejuniis potiſſimùm hic hoſtis enervatur: ita quidem ut quantò magis caro deprimitur, tantò magis ſpiritus attollatur. Hinc illæ Pauli voces: *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* Quantò enim corpus jejuniis conſtantiùs atteritur, tantò ſpiritus vegetior ad alta evehitur. Cùm infirmamur, tunc potentes ſumus, enervati roboramur, dejecti erigimur, viribus acciſis creſcimus.

Abſtinētiâ & jejuniis hic hoſtis enervatur.

2. Cor. c. 12. v. 10.

Luctabatur Iacob cum Angelo, qui velut fortiori D ceſſurus *tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit.* Iacob Patriarcha victoriam quidem adverſus Angelum obtinuit, & tamen femoris vitam amiſit. Iacob Angelum vicit, nam ab Angelo audiit. *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis?* Benedictionem Iacob petiit & impetravit, ſic Angeli victor extitit. Sed dicas: Quomodo dici poteſt viciſſe, cùm membro mutilatus ſit? Hoc ipſum maxima victoriæ pars eſt, carnem atteri & frangi: tunc vincimus, cùm carne debilitati benedictionem obtinemus. Rem clariùs ediſſero.

Gen. c. 32. v. 25.

Ibid. v. 28.

§. IV.

DOminus IESVS quadraginta dies & totidem noctes jejunio traduxit impranſus & incenatus. Quid, obſecro, opus tanto apparatu, tam diuturnâ inediâ, jejuniis tam prolixis quid opus? Cum diabolo pugnaturus erat triplici congreſſu. Sed num ſine jejunio nequiiſſet vincere? Ambroſius meam vicem reſpon-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Amb. to. 5. l. 4 coment. in Lucam, mihi p. 49. Item to. 3. ſerm. 25. de Quadrag. mihi p. 307. Hi ſermones ſunt aliàs in tom. 5.*

reſpondens: *Vide*, inquit, *arma Chriſti, quibus tibi, non ſibi vicit. Videte ergo quæ jejunii virtus ſit, quantam homini ſuo præſtet gratiam, quod tantam præſtet alteri medicinam: quemadmodum proprium ſanctificet hominem, quod ita purificet alienum. Mira enim res eſt, alter jejunat, & alteri prodeſt jejunantis utilitas. Ergo, fratres, abſtinentiæ arma minimè deponamus, & quadraginta dierum jejunia ſine intermiſſione curemus. Hic eſt enim perfectus numerus ad vincendum. Dominus enim diabolum poſteaquam quadraginta diebus jejunavit, evicit, non quòd non & ante jejunia eum vincere potuiſſet: ſed ut oſtenderet nobis tunc nos diaboli poſſe eſſe victores, cùm per quadraginta dies victores jejunando deſideriorum carnalium fuiſſemus; eum autem qui hunc numerum conſecratum gulæ intemperantiâ violaſſet, tamquam imbecillem & miſerum, facilè ab inimico poſſe ſuperari. Quomodo enim poteſt in altero diaboli improbitatem vincere, qui gulæ intemperantiam in ſeipſo non vincit? Prius ergo homo tui victor eſto, ut poſſis eſſe victor alterius. Sunt enim intra te proprii tibi hoſtes, qui quotidie te oppugnant.* Suis igitur jejuniis oſtendit Chriſtus, tunc nos victores fore cacodæmonis, ſi jejunando priùs fuerimus carnis. Si carnem tuam, mi Chriſtiane, non domueris, ſi corporis libidines non viceris, in ceteris omnibus deſpera victoriam. Servis corpori? vitiis pæne omnibus ſervies. Ita nos Chriſtus, ita nos amici Chriſti, ita ſacræ paginæ, ita ſapientum præceptiones & exempla, ita nos ratio & experientia docet, nocentiſſimum omnium hoſtem eſſe carnem, & omnia virtutis ornamenta expilari, ubi fur iſte inquilinus non accuratiſſimè obſervatur.

§. V.

*Pauli dictũ, ad Epheſ. c. 5. v. 29. Nemo umquã carnẽ ſuam odio habuit; nil penitus dictis officit. Nam Paulus uxorem intelligit, quæ quaſi caro viri eſt, Gen. c. 2. v. 24. Erunt duo in carne unâ.*

VBicumque igitur poterimus, hunc hoſtem exagitemus. Pars maxima ſapientiæ, Corpori non ſervire: neceſſarium ſanctioris vitæ fundamentum, Carnem modò cibo potúque fraudare, modò veſtium ſuperfluis ſpoliare, modò parte ſomni privare, modò aliis eam rigoribus macerare. Hîc parcere, fatuæ ſævitię; hîc ſævire, animoſæ ſapientiæ eſt. Hîc quivis ſibimet non indulgens rectè dixerit: Vexo vexantem me.

Valentinianus Imperator jam animam acturus, in fatali lectulo aliquantulum ſeſe erigens, jámque ultimùm ſubridens læto ſpiritu: Deus, inquit, unicam mihi victoriam conceſſit. Quam illam, obſecro? Mox igitur ſubjungens: inimicorum, ait, nequiſſimum vici, Carnem meam. O victoriam omnium non ſolùm illuſtriſſimam, ſed etiam utiliſſimam!

*Andreas Schottus l. 4. vitæ Borg c. 5.*

Franciſcus Borgias Dux Gandiæ, jam religioſæ familiæ adſcriptus, corpus non ut amicum, ſed ut hoſtem peſſimum aſperrimè tractavit, nec in hoc genere piæ crudelitatis quidquam omiſit. Interrogatus, cur in ſeipſum tam immitis & aſper ageret? Hanc belluam, inquit, plorare jubeo, ut quam voluptatem è deliciis palatum cepit, eamdem abſtinendo amittat & expiet.

Hoc agamus, & carnem non imperare, ſed ancillari jubeamus. Placet æternùm vivere? diſcat Caro mori. Moleſtis tunicis fatigetur, jejuniis crebris exerceatur, inediâ & fame dometur. *Si ſpiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus.* Cùm infirmabimur, tunc potentes erimus. Atque hæc prima eſt cauſſa frequentandi jejunii, nequitia carnis coërcenda eſt freno crebræ eſuritionis.

*Rom. c. 8. v. 13.*

Bene ageretur cum homine, ſi caro hæc, quâ interior & verus homo tegitur, tam libens virtuti quàm voluptati inhæreret; hanc enim ſponte ſequitur, illam nonniſi imperio coacta. Ceterùm quo contumacior eſt, magiſque in vitiorum dulcedinem propenſa, eò rectiùs ſapientiúſque feciſſe videri poſſunt ii, qui illam ut mancipium nequiſſimum laboribus, inediâ, verberibus affligentes, rationis jugo ſubjecerunt.

Macarius Alexandrinus, quia gravè & aſſiduum illi

A certamen fuit adverſus carnem, ſaccum ſabulo plenum ad extremam laſſitudinem geſtabat humeris. Rogatus fortè quid ſupervacua illa ſibi vellet opera? Niſi, ait, corpus hoc graviter affecero, animus neceſſe eſt periclitetur. Hæc præcipua & princeps fuit cura omnium Chriſti cultorum, fraudare genium, & carnem modis omnibus vexare. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem. Hæc enim ſibi invicem adverſantur. Vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Profectò *nulla peſtis efficacior ad nocendum, quàm inimicus domeſticus.* Malè tutum geritur bellum, cùm hoſtis inquilinus eſt intra muros, qui cùm tueri debeat, oppugnat. Sic ea ipſa Dalila, quæ juvare debuit, Samſonem prodidit, quem blanditiis ad ſecreti proditionem pellexit. Ita caro innumeris nequitiis perdit animum, cui juncta eſt in adjumentum. Quod queſtus eruditè Gregorius Na-
B zianzenus: *Inimicus*, inquit, *eſt mihi benevolus, & amicus inſidioſus. Prô copulam & diſſidium! Quod timeo, foveo; & quod amo, metuo: priuſquam bellare incipio, concilior, & antequam pax fiat, diſſideo.* Atque adeò hîc illud veriſſimum:

*Gal. c. 5. v. 17.*

*Iac. c. 1. v. 14.*

*Gal. c. 5. v. 24.*

*Boëth. l. 3. de Conſol.*

*Greg. Naz. orat. de pauperum curâ.*

*Nec tecum poſſum vivere, nec ſine te.*

*Martial. l. 12. Epigr. 47.*

Duabus autem manibus impugnat nos Caro, Gulâ & Luxuriâ; utramque ligat & exarmat fames & inedia. Ergo ſi equus tuus, caro tua calcitrat, minue pabulum, injice frenum.

## CAPVT III.

*Iejunium ſapientum & ſanctorum hominum dictis & exemplis commendatiſſimum: Succinctum Societatis* IESV *patrocinium.*

C VERONENSIS Antiſtes & Martyr Zeno, vir perinde ſanctus ac doctus, anno Chriſtiano ducenteſimo, Gallieni Imperatoris ævo, non pauca ſcripſit. Inter genuina & certa viri ſcripta numeratur *ſermo de quatuor temporum jejunio.*

*Iejunium non ut rem novam cõmendam.*

Videte, obſecro, ante annos mille quadringentos jam è cathedrâ jejunium à trimeſtri ſpatio repetendum promulgatur. Non ergo ſtata jejunia ut rem novam horreamus. Sed hic ipſe Præſul ſanctiſſimus Zeno: *Si infantes*, inquit, *ab innatis vermibus infeſtentur, non eis ſaccharum, non mel. ſed amarior, quam horreant, potiuncula propinatur, ut amarore illo necentur & ejiciantur vermes. Quid Caro niſi vermium popina? in carne creſcunt, & animantur peccata, animatos hos vermes jejunium in ſe amariuſculum extinguit & enecat.* Sed Caro, velut contumax infans reluctatur, & reſpuit ſaluberrimam amaritiem. At ſpiritus, ſi quidem renuit ſceptro exui, non cedat, *Mortificationis* abſinthio carnis vermes juguler, jubente,
D Paulo: *Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Atque de hoc cœpimus diſſerere, primámque ſuſcipiendi jejunii cauſſam aſſignavimus, Nequitiam Carnis: ſubjungimus alteram, tam hominum ſanctorum, quàm prudentum aliorum exempla.

*Rom. c. 8. v. 13.*

§. I.

*Iob c. 28. v. 12.*

IObus veluti aberrans viâ ſollicitè indagat: *Sapientia ubi invenitur, & quis eſt locus intelligentiæ?* Perinde ſi dicat: Quæſivi eam in choreo inter trepudia, & non inveni: quæſivi eam in domo nuptiali, & non inveni: quæſivi eam in diverſoriis & cauponis, nec illic inveni: quæſivi eam in triclinio ad epulas & pocula, & nec veſtigium illius inveni: quæſivi eam in conclavi, ad abacum & chartulas luſorias, & minimè inveni: quæſivi eam in cellis vinariis ad plenos vini dominici, Opimiani cados, & non inveni: quæſivi eam

in aulis

A in aulis & regum turribus,ſed nec illic invenire potui: quæſivi eam in cubiculis,ubi ad ſpeculum judicem totas horas comitur caput, & quæſitam non inveni: quæſivi eam etiam in curiis inter ſenatorum ſubſellia, ſed heu neque hîc quidem ſublimiorem illam ſapientiam inveni. Quò tandem eundum? Neſcit homo pretium ejus. Vbi ergo ſapientia inveſtiganda? Hoc tandem ſolùm reperi, ubi ſapientia hæc non reperiatur: *Non invenitur in terrâ ſuaviter viventium*, ubi cuticula tam ſedulò curatur, ubi genio indulgetur, ubi editur, bibitur, luditur, ubi poculis certatur, ubi choreis aut otio vacatur,ſapientia ſanè non invenitur. Nemo eam his talibus locis inquirat, reverâ non inveniet. Vbi ſaturitas aut intemperantia eſt, ibi ſapientia non eſt. *Trahitur ſapientia de occultis*; in domorum latebris, ubi ſermo cum Deo miſcetur, ubi fletur & pectus tunditur, ubi jejunatur, ubi eleemoſyna eroganda numeratur. *Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia; & recedere à malo, intelligentia.* Hoc optimè Salomon, & ab eo viri ſapientes & ſancti omnes ſolertiſſimè intellexerunt. Salomon animadvertens ſapientiam in diſcis, poculis, mollibus lectis, infamibus deliciis non inveniri: *Cogitavi*,ait, *in corde meo, abſtrahere à vino carnem meam, ut animam meam transferrem ad ſapientiam, devitarémque ſtultitiam.* Nam multò melius eſt aquam bibere, & ſapere, quàm potare vinum, & ſtultitiæ mixturam non effugere.

*Ibid. v. 13.*

*Eccleſ. c. 2. v. 3.*

Hîc mihi animus non eſt catalogum eorum texere, qui non naturâ,ſed virtute abſtemii fuerunt. Aaron & omnes Sacerdotes tabernaculum ingreſſuri vinum non bibebant. Dei præceptum eſt: *Vinum & omne quod inebriare poteſt,non bibetis,tu & filii tui tecum,&c. ut habeatis ſcientiam diſcernendi.* Ita & Nazaræi vino & re omni,quæ temulentiam parit, abſtinebant: ita & Rechabitæ ob ſolam parentis ſui juſſionem ab uvis & omni mero temperarunt.

*Levit. c. 10. v. 9. & 10.*

## §. II.

IOannes Baptiſta verè *magnus coram Domino, & vinum & ſiceram non bibit.* Pari modo Iacobus Apoſtolus numquam uſus balneo, numquam unctus oleo, numquam novaculâ raſus, carnes non comedit, vinum & ſiceram non bibit. Daniel, Ananias, Azarias. Miſaël, fontanam regio vino præpoſuerunt. Beatus Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus nullâ umquam neceſſitate adduci potuit,ut aut carnes ederet,aut vinum biberet. Paula Romana vidua, nec in morbo quidem vinum admittere ſuſtinuit,nullis medicorum imperiis ad id ſeſe adigi paſſa. Beatus Emericus ſancti Stephani Pannoniæ regis filius, qui aſſiduis ſeſe jejuniis exercuit, nil umquam guſtaſſe vini dicitur. Beatus Dominicus Calagoranus ampliſſimæ familiæ parens decennio toto nil vini libavit. Plurimi per omnem vitam abſtinuerũt vino. Horum numerum inire nimis quàm operoſum. Inter Chriſtianos olim Hieronymi ævo, monachi tam procul aberant à vino, quàm procul ab urbibus, cùm etiam languentes & ægri aquâ frigidâ uterentur, & coctũ aliquid accepiſſe luxuria fuerit. Imò Chriſtiani omnes diebus jejuniorum, præſertim Quadrageſimæ, vino abſtinere ſoliti ſunt: uti videre eſt apud Clementem, Origenem, Baſilium, Cyrillum Hieroſolymitanum, Theodoretũ. Sex diebus hebdomadis ſacratioris ſolùm cibis aridis,pane,oleribus, ſale,& in potũ aquâ victitabant. Duobus autem ultimis diebus, Paraſceve ac Sabbato ſancto penitus jejuni perſeverabãt.

*Luc. c. 1. v. 15.*

*Hieron. to. 1. epiſt. 22. ad Euſtoch. mihi p. 56.*

*Clemens l. 5. Conſtit. c. 17.*

Noverant illi omnes ſapientiam non inveniri in terrâ ſuaviter viventium. Idcirco cum Salomone non cogitarunt ſolùm abſtrahere à vino carnem ſuam, ſed abſtraxerunt multis aut omnibus annis. Ante annos quadraginta, in Ingolſtadienſi Academiâ, hæc Medicorum Theſis publicè defenſa: *Aquæ potus optimus, ſaluberrimus.* Viros novimus complures, eruditos, nobiles,tam robuſtos quàm ſanos, qui ſummo valetudinis bono abſtinent omni vino.



O vinum,vinum! Tu potiùs hauris orbem,& mergis homines,quàm ipſi te. Quiſquis caliculis ducendis ſtudet,in virtutis familiã adſcribi non poterit,ni priùs illud bibendi ſtudium peſſimámque conſuetudinem correxerit. Sacerdos potulẽtus & homo ebrioſus, uterque neceſſariò vitioſus. Innumeros in vitiorum gurgitem dejecit tam aſſidua & maligna ſitis. Minùs ſitiiſſent, aut ſitim cordatiùs rexiſſent, reverà ſanctiùs & diutiùs vixiſſent. Hîc ego non Ebrietatem in jus voco; ad exactius & ſeverius illa tribunal eſt citanda; ſed illud,ut dixi, aſſiduum pitiſſandi ſtudium accuſo: hoc innumeris hominibus ita nocet, ut eos vel incurioſos & nullius frugis,aut quod pæne idem,ſeriò vitioſos faciat. Quid enim ſolidæ ſapientiæ, aut virtutis, aut exactæ induſtriæ in eo homine reperias, qui omnem in ſe meliorem indolem frequentioribus poculis expungit? Terra ſemper madida degenerem prolem, ſpinas, lolium,ranas educat; homo vix umquam ſiccus aut oſcitantiam,aut quod proximum, parit vitia. Ab homine ſemper madido non expectes niſi ſomnolentiam, aut ſtultitiam. Abundãs & plùs æquo copioſus potus, non ſolùm deteriorem vitam,ſed & breviorem efficit. Carnem nõ refrenabit,qui ei tot poculis ſacrificaverit. Vis carni obſequium perſuadere? Caſtiga, macera, jejuniis doma,eámque ut ancillam,non ut dominam habe. Caro non niſi à plagis diſcit ſapere. Atque hîc illud Caligulæ rectiſſimè uſurpandum: Sic feri, ut ſentiat ſe mori. Beatiſſimus Paulus ſic corpus feriebat,non quaſi aërem verberans,ſed ut ſentiret ſe peti.

Vinũ potiùs homines mergit, quàm ipſi vinũ;

Quia abundãtior potus non ſolùm deteriorem vitam, ſed breviorem efficit.

B

Petrus Damianus Monacho purpuratus ſenator,& Epiſcopus Oſtienſis, viro religioſo epiſtolam ſcripſit hac inſcriptione: Petro Cerebroſo Monacho, Petrus peccator,Monachus ſalutem. Oderat vir ille religioſus & pertinax rejecerat uſitatam carnis macerandæ diſciplinam. Hinc magnificum illud encomium: Petrus Cerebroſus, cuticulæ amator perquàm ſtudioſus. Ah, quanti ſunt verè cerebroſi,cùm carnis petulantias audiunt edomandas. Hi,ut liberiùs errent,in ſui patrocinium trahunt non exigui nominis exempla.

*Petr. Damian. to. 1. lib. 6. epiſt. ep. 27. mihi pag. 291.*

C

## §. III.

LIceat hîc minimam Societatem noſtram verecundo calamo non commendare, ſed à ſequiori judicio defendere. Videri poſſit non nemini Societas IESV in macerandâ carne non nimium operæ collocare. Mi amice, quiſquis es,ſine bile & igne ad aram Veritatis hoc diſceptemus, ſed pauciſſimis, & velut aliud agendo.

Plurimorum opinio & ſermo eſt, lautam eſſe Ieſuitarum menſam. Bene paſcuntur, ajunt, & bene veſtiuntur, & plerumque non auguſtè habitant: quis legibus adeò non ſeveris nolit vivere? Quæſo te, mi amiciſſime Lector, ſi me meúmque candorem noſti, patere tibi rem ſine fuco detegi. Medium me geram, neque à partibus ſtabo.

D

Qui pro Societate hac minimâ apologias ſcripſerint, complures numerantur, non item qui ſpeciatim ejus diætam & menſæ rationem explicarint. Neque ego hîc quidquam moverem,niſi me thematis,de quo agimus,impelleret argumentum. Religioſas omnes familias veneror, & in Domino IESV complector; abſtinentiam illarum, & creberrima jejunia prædico, aliiſque etiam imitanda ſuadeo. Hîc autem parcus ſobriúſque Societatis victus exponendus, neminis abſtinentiâ vel minimùm ſpretâ.

Principiò Societas hæc ſtrictiſſimã in rebus pæne omnibus obedientiam inter ſuos propagat. Fatẽtur id alii cœtus religioſi. Neque enim hîc ulli parcitur,cùm

In Societe IESV ſtrictiſsimè propagatur obedientia.

T parendum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

parendum eſt : non ætas, non eruditio, non cani ullum à parendi lege faciunt eximium. Vnicum Româ verbulum volat, & mox eum quem compellat, ex hac in aliam transfert provinciam. Quantis ac quoties jam factum? Novi ego quamplurimos unico epiſtolio è Germaniâ in Galliam, in Italiam, in Hiſpaniam, in Sinas, in ultimam Thulen exportatos.

**Frugalitas in menſâ;** Deinde ſi menſam accedas, frugalis ea & parca eſt, qualis inter plebeios opifices eſſe ſolet. Tam prandium quàm cena non ultra tres miſſus numerat, planè vulgares ac facilè parabiles : Solenniores feſti dies apponunt quartum. Extra hos prandium initiat offa, caput prandii bubula, miſſus tertius rapæ aut olera, prout anni vices ſunt. Quòd ſi offa medium prandii locum occupet, anteambulonem agunt ovium exta aut pridianæ carnis minutal, aut ovis fruſtillum; hunc prodromum è veſtigio comitatur juſculum, iſtud proximè inſequitur bubula; prandium claudit caſei particula, vel ceraſorum aliquid, aut pomum, pro anni varietate. Eadem cenæ ratio. Illius initium offa vel lactucula, hanc excipit lixæ vel aſſæ carnis aliquid, mox finis advolat pomi recentis aridíve genus, aut hordeum, aut pulmentum. Vltimis duobus hebdomadis diebus rari piſces in menſam noſtram adnatant, pretioſis lege ſemper excluſis. Exordium prandii tuſum aut integrum cicer, proximum & primarium ferculum ova, ſubinde paſſeres vel aſelli marini; tertium, olus aut pulmentum. Hæc menſæ frugalitas per omnem annum religioſiſſimè obſervatur in collegiis omnibus quantumcumque inſtructis. Itali adhuc parciùs prandent cenántque regionis & gentis more. Si fidem neges, curioſe Lector, convivam te invito: ipſe inexpectatus improviſò veni atque arbitrare, & ea, quæ dixi, tuis oculis credes.

**Diei Veneris in hebdomadâ abſtinentia;** Tertiò, ſingulis hebdomadibus ſextâ quâque feriâ leges noſtræ abſtinentiam indicunt, cujus ea eſt parſimonia, ut pleriſque omnibus, ſi ſententiæ perrogentur, gratius videatur jejunium, quàm abſtinentia. Nam cena ſera non niſi unicam offulam aut lactuculam, eámque prorſus incomitatam; porrigit edulii genus quod plerūque priùs ſubmoveas quàm aſpicias. Hinc facetè vir quidam religioſus dicebat: Aſtutus ſanè fuit beatus Ignatius, qui in ſingulos Veneris dies non jejunium, ſed abſtinentiam velut remiſſius aliquid & facilius imperavit, cùm reverà difficilius ſit. Nam à ſumpto prandio, quod ferculo nullo auctius eſt, expectandum ad horam ſeptimam veſpertinam, quæ cenulam illam proponit, poſt quam non lavantur manus.

*In Italiâ eſt unicum aſſum cepe.*

Accedit, quòd, etſi hæc minima Societas extra ſtatos Eccleſiæ dies jejunia ſuis pauca imperet : nam iis qui quotidie in ſcholis quinque horis vociferantur, aut laboribus domeſticis fatigantur, hoc nimis quàm difficile foret; nihilominus plurimi quovis Sabbato cenâ abſtinent; inter hos etiam magiſtri & concionatores: & illos quidem diurni labores in Gymnaſiis, iſtos die poſtero ſecuturi in cathedris, à jejunii lege abſolverent: illorum tamen & iſtorum plurimi ſponte ſuâ quavis hobdomade jejunant; ſunt quibus jejunium quotidianum non difficulter permiſſum. Ejus enim rei veniam petentibus datur facillimè. E compluribus qui ſingulis diebus ſemel dumtaxat cibum ſumpſerūt, honoris cauſsâ, nominem Leonardum Leſſium, virum è ſcriptis notum, qui quotidie non prandere, ſed cenare tantùm ſolebat. Idem plures alii & antehac obſervarunt, & etiamnum obſervant. His nominatim accenſendus Franciſcus Suarezius Theologus cujus poſtea ſingularior mentio facienda.

Objicias: Convivas Ieſuitæ lautè ac delicatè habent. Ajo primò, hîc pæne ſæpiùs peccari defectu quàm exceſſu, cùm hoſpites aut viri principes longè infra ſuam conditionem accipiuntur. Deinde, peregri-

A na plerumque præ domeſticis mirè ſapiunt, & inter lautitias cenſentur, quæ domi ſorderent.

Ajo tertiò, in convivarum gratiam ſubinde promi, quidquid in domo melioris opſonii aut vini eſt: & quod domeſticorum nullus nec libando quidem guſtat, hoc in hoſpites & convivas velut debitum expenditur. Nec neſcimus ob largiorem hanc humanitatem nobis ſæpius maledici.

Ajo quartò, hîc limites, à majoribus poſitos, quandoque aut tranſiliri, nimium dando; aut nec quidem attingi, nimis parum apponendo. Quid volumus? uti dominicum vinum miniſtratoris eſt gratia, ita opſonium lautiùs paratum, aut plùs æquo multiplicatum, coci eſt benevolentia. Plerumque cocus laudari vult, ideò focum luculentiorem inſtruit, & quidquid habet artis expromit. Hîc majores viderint, ne quid Reſpublica religioſa capiat detrimenti.

*Arbiter in ſuo ſatyr.*

**Veſtitus ratio,** B Superioribus addo; veſtitûs ratio in hac minimâ Societate illa eſt, quæ cujuſcumque regionis plebeiis, ſed honeſtis Sacerdotibus conveniat. Interim uſus cilicii frequens, & quibus placet, quotidianus. Lecti ac cubitûs ea eſt ratio, quam paupertas amet. Liberum eſt omnibus rigidum aſſerem ſomno ſubſternere, aut amotis plumis lecto ſtramineo incubare. Novi qui numquam alio ſint uſi lecto. Neque hîc difficilis venia conceditur. Ita in hac Societate nihil ſubſidii deeſt, quò minùs aliquis rigidiſſimam vitæ rationem ſervet. Quotidie jejunare, ſtramini aut ligno indormire, humi cubare, vigilias frequentare, corpus quotidie flagris objurgare, hæc atque his ſimilia in expedito ſunt volenti. Hæc autem ſine diſcrimine imperari non potuerunt iis, qui aſſiduè litterarum ſtudiis invigilant, & viribus ſunt adeò inæqualibus. Sunt nihilominus qui jejuniis, ciliciis, flagellis, vigiliis, rigoribus aliis quotidie corpus exerceant. Poſſum nominare hujus Socie-C tatis viros eruditos, religioſos, etiam octogenarios, qui quotidie jejunent, qui in ſeipſos flagris quotidie animadvertant.

*Nihil deeſt quo minùs ſi quis rigidiſſimam vitæ rationē ſervet.*

Franciſcus Suarezius Theologus, qui anno ætatis decimo ſeptimo huic minimæ Societati adſcriptus, quinquaginta quatuor annis in eâ vixit, ſeptuagenarius obiit. Illuſtrandæ Theologiæ vir iſte unum & viginti grandes tomos in lucem edidit: quotidianis jejuniis carnem maceravit: nec enim umquam niſi ſemel de die cibum admiſit, quotidie itidem flagellis corpus in ſervitutem redegit, tantum temporis orationi dedit, ac ſi ſtudia negligeret; ita ſtudiis invigilavit, ac ſi orationem penitus intermitteret.

*Anno 1617. die 25. Septemb.*

*Quos omnes ſimul in Bibliotheca Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Principis & Epiſc. Chiemenſis Salisburgi vidi, nec in ullâ aliâ ſimul ſpectavi.*

Sed & alios è Theologis Societatis viros oppidò eruditos nominare eſt, qui quotidianâ verberum diſciplinâ ſe multârunt, quod nullius, putem, religioſæ familiæ legibus imperatur. Itaque cilicia, humicubationes, flagella, jejunia, ceteræque carnis mortifica-D tiones in Societate IESV receptæ & uſitatæ. Taceo alias multò ſeveriores ac crebriores, & quæ magis urunt.

Nihilominus in hanc minimam Societatem ſententiæ paſſim acerbæ dicuntur; nigrum illi theta figitur locis plurimis. Obſecro, qui eſtis vos, qui judicatis ſervos alienos? totum aliquem cœtum, totum Ordinem religioſum infamiæ notulis perfricare, non leve piaculum eſt. Ad tribunal Cæſaris ſtamus, ibi nos oportet judicari *. Iudicia humana millies iterúmque millies errant; divinum etſi ſerum, abſque errore omni exactiſſimum eſt. Ad iſtud læti provocamus; ad ſupremi Cęſaris tribunal conſiſtimus. Erigere conſcientia, & nihil metue; centies millies ad inferiora tribunalia cecidiſſe cauſsâ non ei oberit, quiſquis ad ſupremum vicerit. Deus judex eſt.

*Sunt qui acerbiſſimis cavillationibus, libellis famoſiſſimis, ſine aliorum ope & auxilio proſcindant. Parco nominibus, qui tamen minimè nobis parcunt.*

Sed hæc, mi Lector, candidè tecum per digreſſiunculam fabulari licuerit. Redimus ad lineam.

* *Act. c. 25. v. 10.*

§. IV. Qui-

§. IV.

QVicumque ſuæ pelliculæ amans, carnis caſtigationem odit, non iniquè ſibi audiet occentari; *Petro cerebroſo*: qui nempe rejicit, quod omnes Chriſti amici, quod omnes homines Sancti, ut pharmacum planè neceſſarium obviis ulnis admittunt. Vbi nulla mortificatio, ibi nulla virtus. Fatemur quidem ſolidam ſanctitatem non in macerandâ carne, ſed in exercendâ charitate, & in verâ humanæ voluntatis ad divinam conformatione conſiſtere. Nihilominus profectò illud ad hoc neceſſarium eſt.

*Mortificatio eſt neceſſaria ad ſolidã ſanctitatem.*

Conſiderate mihi, obſecro, tam priſcæ quàm novæ legis illuſtriſſimos quoſque viros. Videte regem David coërcendæ carnis, vincendæ ſitis, genii fraudandi abſolutiſſimum exemplar. Sitiverat Rex David vehementiſſimè. Non defuit ſuum huic ſiti ingenium. Mox enim Regi occurrit ad Bethlemiticam portam ſcaturire fontem gelidiſſimum. Hinc regiæ voces illæ: *O ſi quis daret mihi aquam de ciſternâ Bethlehem, quæ eſt in portâ!* Quamprimùm tres militum fortiſſimi ad hoc genus obſequii ſeſe auctorarunt, & hoſtium caſtris vi penetratis ad fontem pervenerunt. Hauſtam hinc aquam, hoſtium ſtativis denuò perruptis, detulerunt ad regem. Rex auſus ingentes demiratus, & ſitim præſente jam aquâ concitatiorem generoſiſſimè ſubſtringens, noluit bibere, ſed magis libavit eam Domino. Factum, ô ſuperi, laudatiſſimum.

*Coërcẽdæ carnis & genii fraudandi in rege David abſolutiſſimum exemplar.*
*1. Paralip. c. 11. v. 17.*

Diſcite bibones ſitim ſiti jugulare, qui potu ſæpius non tam ſitim extinguere, quàm extinctam reparare & accendere ſtudetis.

Sed ad illam Hebræi Regis continentiam velut æmula poteſt adjungi illa Macedonis Imperatoris virtus. Rex Alexander copias per arentem Indiam duxit. Aquarum penuria prius deſperatione quàm deſiderio bibendi ſitim accendit. Per quadringenta ſtadia ne modicus quidem humor exiſtit. Arenas vapor æſtivi ſolis accendit: quæ ubi flagrare cœperunt, haud ſecùs quàm continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico terræ fervore excitata lucem tegit: camporúmque non alia quàm vaſti & profundi æquoris ſpecies eſt. Nocturnum iter tolerabile videbatur, quia rore & matutino frigore corpora levabantur. Ceterùm cùm ipsâ luce æſtus oritur, omnémque naturalem abſorbet humorem ſiccitas, ora viſceráque penitus uruntur. Itaque primùm animi, deinde corpora defecêre. Pigebat & conſiſtere, & progredi. Pauci à peritis regionis admoniti præpararant aquam. Hæc pauliſper repreſſit ſitim. Deinde creſcente æſtu rurſùm deſiderium humoris accenſum eſt. Ergo quidquid vini oleíque erat hominibus ingerebatur: tantáque dulcedo bibendi fuit, ut in poſterum ſitis non timeretur. Graves deinde avidè hauſto humore non ſuſtinere arma, non ingredi poterant: & feliciores videbantur, quos aqua defecerat, cùm ipſi ſine modo infuſam vomitu cogerentur regerere. Anxium Regem tantis malis circumfuſi amici, ut meminiſſet orabant, animi ſui magnitudinem unicum remedium deficientis exercitûs eſſe: cùm ex iis qui præceſſerant ad capiendum locum caſtris, duo occurrunt utribus aquam geſtantes, ut filiis ſuis, quos in eodem agmine eſſe, & ægrè pati ſitim non ignorabant, occurrerent: qui cùm in regem incidiſſent, alter ex iis utre reſoluto vas, quod ſimul ferebat, implet, porrigens Regi. Ille percontatus quibus portarent; filiis ferre cognoſcit. Tunc poculo pleno, ſicut oblatum eſt, reddito, Nec ſolus, inquit, bibere ſuſtineo, nec tam exiguum dividere omnibus poſſum. Vos currite, & liberis veſtris, quod propter illos attuliſtis, date.

*Curtius lib. 7. c. 9.*
*Abſtinẽtia regis Alexandri,*

Deus bone, qualis hæc abſtinentia, & quàm illuſtris *Mortificatio* in homine militari, in juvene, in rege, in idololatrâ. Si Macarius aliquis aut Paphnutius ita genio illuſiſſet, rem ſuo nomine digniſsimam feciſſet: in rege milite quis iſtud ſatis miretur?

§. V.

NEc poſſum quin & te Rudolphe Imperator Auguſtiſsime in hac Regum abſtinentium ſocietate collocem. Rudolphus I. Cæſar in Ottocarum Regem Boëmum arma movit. Aquæ penuriâ ſitis ingens exercitum omnem affligebat. Hinc milites excurrebant prædaturi non aurum, non veſtem pretioſam, ſed aquam, aut liquorem potabilem. In viâ exceptus homo paganus, qui meſſoribus lagenâ ligneâ ferebat fontem. Huic præda liquida cõtinuò erepta, & ad Imperatorẽ non ſine gratulatione delata. Hic Imperator abſtinentiſſimus, & verè ſuimet victor: Reddite, inquit, homini lagenam nec minimo libatam. Nam ego hactenus non mihi, ſed exercitui meo ſitiebam. Deum immmortalem, vox generoſa! Qui ſitim habet tam docilem, famem etiam non difficulter condocefaciet; qui oris & gulæ potens eſt, etiam cordis erit.

*Æneas Sylvius lib. 3. Comment. de reb. geſt. Alfonſi.*
*Rudolphi I. Imp.*

Plato, qui pane, pauculis olivis, & fonte vitam toleravit, ſæpiùs cùm ſitiit, aquam antliâ hauſit, ſed hauſtam mox effudit; ſed & iterùm hauſit, iterùmque effudit hauſtam, ut etiam hac in re ſuiipſius victor eſſet. Hinc tantus vir, hinc ille divinus Plato evaſit. Vbi nulla ſui victoria, nulla virtus.

*Platonis.*

Lacedæmonii nullam diſciplinam abſtinentiâ potiorem habuerunt, Ideo adoleſcentes habitiores, & obeſi corporis ineditâ vexarunt, ut eos ad gracilitatem reducerent. Abſtinentia profectò diſciplinarum inter Chriſtianas nobiliſſima.

Omnium Sanctorum hominum is animus ſemper, ea fuit animi ſententia, ei, qui quidem cupiat vitiis reſiſtere, corpus rigidè tractandum. Quâ in re cum Senecâ loqui: *Corporis*, ajebant, *velut oneris neceſſarii non amator, ſed procurator ſit, nec ſe illi, cui impoſitus eſt, ſubjiciat. Nemo liber eſt, qui corpori ſervit. Nam ut alios dominos, quos nimia pro ipſo ſollicitudo invenit, tranſeat, ipſius moroſum imperium delicatúmque eſt.*

*Sen. ep. 92. ſine mihi pag. 568.*

Diabolus hoſtis vaferrimus quamdiu in homine obſervat intemperantiam, tamdiu certam ſperat victoriam; cani ſimillimus, qui non facilè abigitur, dum macellum patet, dum carnes venales in oculis ſunt: ita planè cerberus iſte, quamdiu corpus veluti plenum macellum omni ciborum genere diſtenditur, liberale ſibi pabulum inde pollicetur.

Hinc illæ Chriſti voces: *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* Cui corpus & corporis vita tam chara & pretioſa eſt, ei beatitudo æterna vilis eſt: *Qui verò odit animam ſuam, inveniet eam:* quiſquis enim ut hoſtis, quod in ſe carnale deprehenderit, mortificationis ferro jugulaverit, viam inveniet ad æternam vitam. Dilucidiſſimè Paulus: *Si ſpiritu*, inquit, *facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ergo *mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.*

*Ioan. c. 12. v. 25.*
*Rom. c. 8. v. 13.*
*Coloſſ. c. 3. v. 5.*

## CAPVT. IV.

### *Iejunium, valetudinis unicum & princeps præſidium.*

CHRISTI ævo tam vinum quàm oleum non vaſis ligneis, non ſtãneis, ſed ſaccis ſcorteis infundebatur. Ita Chriſtus: *Nemo mittit vinum novum*, inquit, *in utres veteres, alioquin rumpit vinum novum utres, & ipſum effunditur.* Hac uſus ſimilitudine Petrus Chryſologus: *Vtres veteres*, inquit, *Iudæos vocat: novos utres nuncupat Chriſtianos: quia ſicut utres pellium ab omni ſqualore purgantur, & pigmentis liniuntur odoratis, ut ſaporem vini poſſint inviolabilem cuſtodire: ita jejuniis corpora humana ab omni carnalium delictorum ſqualore purgantur, & fiunt utres divinis torcularibus apti; ut de prælo crucis accipiant*

*Matth. c. 9. v. 17.*
*Marc. c. 2. v. 22.*
*Luc. c. 5. v. 37.*
*Chryſol. ſer. 31. ante finem mihi pag. 87.*

*vinum novum, & incorruptam novitatem conſervent. Sed hoc ſicut accipiunt Chriſtiani, ita judæi, niſi Chriſtiani fuerint, non habebunt: qui corrupti vitiis, & inveterati malis, vinum novum, quod ad Evangelii verbum, ſi acceperint, & rumpuntur & fundunt. Agnoſcendum eſt ergo, quia Chriſtus per exempla hæc non diſcipulos ſuo noluit jejunare, ſed noluit jejunium verum fraudulento miſcere jejunio.*

In Wirtenbergiâ & aliis regionibus dolia illinuntur ſulphure, ut ſuus vino conſtet color, & ut iter faciat ſine inſigniori damno. *Ita prorſus*, inquit Chryſologus, *jejunio & abſtinentiâ tamquam pice odoratâ corpus conſervandum ab actionibus carnalibus.*

Jejunio & abſtinētia corpus cōſervādum ab actionibus carnalibus.

Corpus neceſſariò caſtigandum, capite ſuperiori diximus. Nunc porrò imus, & luculenter oſtendimus, ex omni Mortificationis genere, non eſſe convenietiorem Carnis caſtigationem ullam abſtinentiâ & jejunio.

## §. I.

NAtura corruptior, ſui ſedula mater, ſibi ipſi benefacere, in omnibus ſibi parcere, ſeipſam quàm molliſſimè tractare, principem curam ſtatuit: hinc utilia ſibi & commoda non facilè umquam negligit; quæ verò ſibi cenſet noxia, modis omnibus averſatur, & remis veliſque fugit. Hinc cùm ratio aut lex jejuniũ indicit corpori, natura pro ſe ſollicita: Sic autem, inquit, valetudinem offendemus, nimiùm ſubtrahetur corpori, ſtomachus debilitabitur, vertiginem patietur caput, ſomnus turbabitur. Sexcentas mille tales objectiones, querimonias mille naturæ genius ſolet opponere. Si hæc remora noſtros conatus non ſiſteret, nullis, putem, exhortationibus foret opus. Sed quia pæne neminem noſtrûm meticuloſa hæc cogitatio non turbat: *Jejunium mihi obeſt*, ideo ad abſtinentiam aut inediam ægerrimè adducimur: nimirum inaniter & vanè præmetuimus Abſtinentiam nobis nocituram.

Hîc, obſecro, benevolum ſortiar lectorem,
*Qui modò culturæ patientem commodet aurem.*

*Horat. l. 1. epiſt. ep. 1. ad Mecenatum.*

Rem ego rationibus optimis commonſtrabo, & vel ipſis oculis fidem faciam, jejunio & abſtinentiâ non tantùm animo ac ſpiritui, ſed & corpori ac valetudini plurimùm commodari, modò jejunium (quod ſolum excipio) rationis metas non tranſiliat.

*Indiſcretũ & immoderatum jejunium non commendamus.*

Hîc quædam veniunt conſideranda. Primum eſt; Sanitas & longævitas ſeu vita extenſior, theſaurus eſt omnium opum maximus. Hoc omnes homines, hoc orbis univerſus deſiderat; ſanum & longævum agere, res omnium optatiſſima. Quòd ſi valituras ſanitati & vitæ longiori præceptiones tradidero, orbem, ſat ſcio, habebo attentiſſimum & in mea verba jurantem.

Sanitas eſt theſaurus omnium opum maximus.

Alterum eſt: ſi affirmem in pharmacopoliis ullis non pyxidem, non ollam, non ſubſcudem, non teſtam, ſed nec ligneum, nec vitreum, nec cupreum, nec ſtanneum, nec argenteum vas ullum reperiri, quod obtinendæ ſanitati aut vitæ longiori remedium contineat nobilius Abſtinentiâ & Jejunio: ſi dicam, Pharmacum pharmacorum omnium Abſtinentiam; innumeros audire cogar, qui validiſſimè reclament; plurimi dicent: Cras credam, hodie non. Hîc Horatium ſentio vellicantem:

Abſtinentiâ & jejunio obtinendæ ſanitati non eſt remedium nobilius.

*Periculoſæ plenum opus aleæ tractas.*

*Horat. l. 2. Odarum, odâ 1.*

Scio, nec multùm moveor, ſed Domini IESV amore rogo, audite quæ dicturus ſum, ſed audite patienter atque cum curâ; auſim dicere, rationibus ſolidiſſimis, etiam è ſacrâ paginâ petitis facilè docebo, unicum & princeps valetudinis præſidium eſſe jejunium, quod non animo tantùm, ſed etiam corpori, ſuprà quàm dici poteſt, opituletur. Rem ordior.

## §. II.

SIracides fideliſſimè commonefaciens: *Noli avidus eſſe*, inquit, *in omni epulatione, & non effundas te ſuper omnem eſcam.* Et cauſſam mox ſubjungens: *In multis enim eſcis*, ait, *erit infirmitas.* Non erravero, ſi dixero: Quavis hebdomade, imò quovis die multa hominum millia mori, qui ad plures annos protraxiſſent vitam, ſi minùs properanter & avidè comediſſent, ſi numquam (cum Plauto loquor) tuburcinati fuiſſent. Hoc ſanè pauci obſervant, ſed avariter ingerunt, celeriter vorant, & opſonium vix quidquam mandunt; hoc annis aliquot faciunt, & ante annos obeunt. Imò ſi quis prandio cenâve unicâ nimiùm tuburcinetur, & ut canis voret, facilè ignotum morbum contrahet, cui ſola poſſit mederi mors, ni antè medeatur Abſtinentia.

*Eccli. c. 37. v. 32. 33.*

1. Ratio cur jeju-

*Tuburcinari.*

† Præceptio medicorum eſt: Digeſtio prima fiat in ore. Philippus Menzelius æternante memoriâ digniſſimus medicus mihi de ſeipſo teſtatus: Ego, inquit, carnes ita dentibus commolo, ut in pulmentum eas redigam. Avidè ac properanter comedere, non ſolùm

B

indecorum, ſed & ſummè noxium. Hinc aſthmata, hinc graviter halans anima, hinc morbi & vitia corporis innumera. Ergo noli eſſe avidus in ullâ epulatione; cibus malè manſus malè digeritur. Hîc priſcum illud Auguſti locum habeat: *Feſtina lentè.* Abſtinens nec avidus, nec delicatus eſt.

Sed ſcitis, quò Siracides collineet, cùm de parco victu diſſerit? De morbis & medicinis erat dicturus. Vis ergo, inquit, declinare medicinas? fuge morbos. Vt iſtos effugias, *noli eſſe avidus cùm epularis*, & menſam deſere fame non penitus extinctâ. Cauſſam attende: *In multis enim eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit uſque ad choleram.* Multi cibi, multi morbi; copioſa menſa, miſera valetudo; perpetua ſaturitas, inconſtans aut nulla ſanitas. Audi Siracidem clariùs loquentem: *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Hîc mihi ſeu litterator (quiſquis es) ſeu pictor adſis, & hæc Siracidæ verba vel auro vel gemmis ſcribe: *Qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Triſſimum illud novimus:

C

*Pone gulæ metas, ut ſit tibi longior ætas.*

Nihil omnino dubii eſt, quin quotidie multa millia moriantur, qui ſi parciùs prandiſſent, moderatiùs cenaſſent, frequentiùs eſurire ſuſtinuiſſent, in plures annos pervixiſſent. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Qui adimit eſcæ, apponit vitæ. Hinc Italorum proverbium multò veriſſimum: Qui multum vult comedere, parum comedat. Interpretor: qui cupit diu vivere, & annis pluribus aurâ ciböque veſci, is omnibus prandiis ceniſque parum ac parcè comedat. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Hæc prima ratio.

Altera: Omne agens agendo patitur. Lima in ferrum agit, & multum ei adimit, ſed & ſui aliquid amittit; ſic demum atteritur agendo, ut ampliùs agere ac limare nequeat: ita cibus in ſtomachum deſcendit, hunc calor & ſuccus, ut medici loquuntur, digeſtivus excipit, ſubigit, coquit. Sed hoc toties fit, dum utraque naturalis illa facultas ſui aliquid amittat. Quòd ſi cibus ipſe durior, craſſior, malæ digeſtionis, copioſior ſit, ſtomachus multum ſupra modum patitur: nam naturalis calor velut ignis inter humentia & viridia ligna ſuffocatur; digeſtivus ille ſuccus ſuccumbit, nec abſolvere poteſt, quem cœpit laborem. Hinc varia morborum ſeries, hinc catarrhi & tuſſes, hinc colica, hinc febres, & capitis dolores, hinc omne morbi genus. Ita demum ſtomachus atteritur, ut nec unicum quidem ſorbile ovum poſſit digerere. Ecquis, obſecro, morbus eſt, qui non à cibi potúſque intemperie originem trahat? Vix ulli & rariſſimi ſunt corporis defectus ac morbi, qui non ab exceſſu cibi potúſque oriantur. Nos infantes imperiti ac ſimplices ſæpiſſimè morborum cauſſam & culpam in aërem, in ſtudia & laborem, in habitationẽ, aut in curas atque ſollicitudinem conjicimus. ô boni & fatui!

*Eccli. c. 37. v. 32.*

*Ibid. v. 33.*

D

2. Ratio

Morbi à cibi & potus intemperie originem ſumunt.

Quid

Quid hæc accuſamus? Quod per os ingreditur, hoc valetudinem affligit, hoc vitam eripit. Eruditè ac verè dixit Hieronymus Cardanus: *Parcitate victûs, exercitatione, animique lætitiâ omnis vita humana conſtat. Cetera ſunt quædam additamenta, & parum efficiunt.* Non negem ab aëre quoque, à nimiis laboribus & curis noxam trahi: ſed hæc minoris plerumque damni ſunt. Galenus ipſe apertiſſimè fatetur, omnem aliam intemperiem, uti ſolis ardorem, frigora, ventos, labores nimios parum ſibi nocuiſſe, eò quòd in duobus illis, quæ per os intrant, debitam ſervârit moderationem. Cibi potûſque intemperantia malorum omnium eſt Lerna. Nam aut cibi potûſque copiâ aut qualitate, aut modo peccamus. Explico breviſſimè.

*Cardanus l. 4. de tuēnda valetud. c. 16. mihi pag. 306. & ſeqq.*

In cibo & potu tribus peccamus:

*Copiâ* peccat, qui plus ingerit alimenti, quàm fames cupiat, quàm valetudo poſcat; hinc nimiùm oneratur ſtomachus, calor fatigatur & obruitur. Singulariſſimè noxium eſt, ſi cibus ingeratur corpori, priore nondum digeſto.

Copiâ,

*Qualitate* cibi delinquimus, cùm cibos naturâ ſuâ vitioſos, pingues, præſalſos malignè craſſos plus æquo duros, & qui nimiùm aut calefaciunt aut refrigerant, in ventrem dejicimus, cùm pepones, fungos, cucumeres, frigidiſſima gulæ irritamenta in deliciis habemus.

Qualitate, *Pinguedinem omnem nociuam, & pene venenū puta.*

*Modo* denique peccamus, cùm cibum à ſe commendatum malè mandimus, alios atque alios bolos raptim glutimus atque trajicimus, & verbo proprio, *Tuburcinamur.* Hîc quidem cibus non foret nimius, non noxius, modò ſumeretur cum modo: qui ſi deſit, plerumque nimius, & ſemper noxius eſt cibus. Antonius Pius Imperator, Capitolino teſte, in cenâ caſeum avidiùs devoravit, nocte inſequenti rejecit, alterâ die febri, tertiâ verò morte correptus eſt. Nimis quàm noxium ita præcipitanter comedere. Hinc putredines, hinc corruptus ſanguis, hinc peſſimi humores. Et hæc veriſſima morborum omnium eſt origo, ſtomachi à cibo potúque repletio. Huic malo rectiſſimè medetur opportuna & prudens inedia, jejunium crebriùs iteratum. Nemo ſit qui non dies habeat intercalares, quibus emendet abſtinentia, quod deliquit licentioſior gula. Hoc viri faciunt doctiſſimi, qui cùm ſanitatis curam habeant, ſingulis hebdomadibus unum alterúmve diem intercalarem ſibi deſtinant, quo cenā aut prādium omittant, & ita præteritas ſaturitates corrigant.

Modo;

Quibus medetur opportuna & prudens inedia.

Aurelianus Imperator ad annum ſexageſimum ſextum pervixit, nullum umquam pharmacum ſumpſit, nullam venam incidit, ſed horam unam quotidie obambulavit, ſingulis menſibus die integro cibatu omni abſtinuit. Qui ſapit, ſubinde ſaltem, cùm cibi faſtidium ſentit, eſuriales ferias ſibimet indicit. Repeto vel centies, vel millies repetendum: *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.*

## §. II.

3. Ratio.

Tertia ratio: Sanitas eſt cōtemperatio & proportio humorum ac qualitatum in corpore. Si nativus calor & frigus, ſi ſiccitas & humiditas æquali pene paſſu gradiantur, neutrum à neutro ſuperatum, ſanum eſt corpus: quòd ſi calor innatus aut familiare gelu qualitates alias excedant, præſens aut in vicino eſt morbus. Hîc ego vereor, ne ſurdis narraturus ſim fabulam. Error eſt, & quidem multò patentiſſimus, quem nemo non defendit, quem docti indoctique pro viribus propugnant acerrimè. Rogo te, mi Lector, hîc animum & aures adverte. Opinio eſt pervulgatiſſima, vires proſtratas & ſtomachum officii ſui immemorem vino nobili & generoſo plurimùm juvari poſſe. Hic orbis ſcopulus, imò hic tumulus eſt, in quem quotidie innumera præcipitantur funera. Vinum meracum, ajunt, & primarium ſi moderatè ac modicè bibatur, perditas vires reficit, ſtomachum frigidum calefacit, conducit mirificè. O boni! erratis ampliſſimè, & quidē toto cælo. Credetis hoc, puto, teſtibus locupletiſſimis & omni exceptione maioribus.

Hoc igitur ajo: Stomachus vel naturâ, vel ſenio, vel morbo debilitatus ac frigidus, vino nobili non tantùm non juvatur, ſed multùm affligitur, violatur, depravatur, perditur. Ita namque viri doctiſſimi ratiocinantur: Inter ſtomachum, qui recipit & inter cibum potúmque, qui recipitur, proportio ſit neceſſe eſt; nec enim ſtomachus à ſuo hoſpite ſuperari vult calore; quando igitur ſtomachus eſt frigidus vinum autem dominicum, meracum, non lymphatum eſt, incredibiliter ei officit, ob magnam inter recipiens & receptum inæqualitatem. Conjugium nimis diſpar eſt, ſtomachus malus, & vinum bonum, nec inde quidquam boni naſcitur. Iunge pares & ſanitati conſules: ſtomacho debili vinum debile aut lymphatum convenit. Hoc autem nemo credit, tumultuatur & reclamat totus orbis; omnium ubique vox eſt: Stomachus malus vino bono erigendus, juvandus, calefaciendus eſt.

Inter ſtomachum, cibum & potum debet eſſe proportio.

Tres erant ægroti homines, cetera non imprudentes, nec ignari rerum, ſed qui in rem ſuam peſſimè ſapuerunt. Illorum primus vinum Creticum ſeu Chium, vinum alter honorarium dulce, Liberi florem, tertius vini laticem, ſeu ſublimatum vinum, ſuo morbo convenientiſſimum cenſebat, ſpecioſis ſanè nominibus. Ille quidem phlegma pectoris Chio ſolvendum arbitratus eſt. Suaviter tamen ignorare voluit, pituitam tam dulci ac potenti potu magis augendam parte unâ, quàm minuendam alterâ. Ipſum etiam acetum calidæ naturę eſſe judicat Ariſtoteles†. Alter verò Reinſelium eam potiſſimùm ob cauſſam expetiit, quòd refrigeraret*. Quis, obſecro, umquam audiit ullâ in orbis parte vinum præſertim generoſum ac potens naſci, quod vim habeat refrigerandi? Deus bone, quàm amicè fallimus noſipſos! Id enim noſtro judicio nobis ſingulariter convenit, quòd maximè ſapit. Superi! Quàm eſt proclive ſeipſum fallere? Et quàm nemo ferè in cauſsâ propriâ ſapit.

*† Ariſtotel. tom 7 ſect. 3. problemat, mihi pag. 648. Galen. miſtam ei potentiam aſſignat.*

** Hæc etiā num anicularū ſunt ſomnia.*

Vbinam locorum vinea illa eſt, quæ generet botros indolis frigorificæ? Hæc ægrotorum aut ſomnia ſunt, aut deliria. Refrigerat certè vinum, ſed primo illapſu dum per guttur defluit, & aliquantulum ad breve tempus ſitim reprimit: at ubi vim ſuam diffundere permittitur, calefacit, accendit, exurit. Refrigeratio illa, ô boni, eſt breviſſima, & velut prima ſymbola, quam hic hoſpes ſolvit ſtomacho, cauponi ſuo. Verùm expectabis paullulùm: mox occultum tui hoſpitis ignem ſenties. Sed ægrotorum ille tertius vinum ardens igni eliquatum ſibimet indulſit, tamquam frigidi ſtomachi præclarum pharmacum. Præclara ſanè fatuitas, quam tamen picta cauſſæ honeſtas velat. Nimirum ſtomachum juvamus, & caput perdimus. Imò & ſtomacho præſertim frigido illud vini genus nocentiſſimum. Inquilinum frigus igne tam violento non tollitur, niſi cùm anima ejicitur, quod ejuſcemodi antidota ſolent facere. Ah longè ſatius eſt minùs valere, quàm valetudini auxilia ferre tam noxia! Fuge vinum ardens, fuge quiſquis valetudinem & vitam amas. At, inquis, modicum bibo. Ergo mavis tibi modicum, quàm nihil nocere. Idem de pluribus aliis ejuſcemodi *modicis*, ſed noxiis ſentiendum.

Ita ſtomachus ajunt, non multo, ſed generoſo vino calefaciendus aut corrigendus.

Inſcitia, eheu! lacrymabilis, ſed ſuavis; error luculentus non tamen ingratus; ita blandiore gulâ malumus perire, quàm moleſtiore abſtinentiâ ſanari. Nimirum calefacimus ſtomachum; dum animam extrudamus. Ita profectò quotidie innumeri moriuntur, qui ſuis ſe beneficiis blandè jugulant; ventriculum ſci-

Stomachus à naturâ, ſenio vel morbo debilis à vino nobili noxã trahit.

licet ita calefaciunt, ut in tumulo refrigerandus ſit. Stomachus, ut dixi, vel à naturâ, vel à ſenio, vel à morbo debilis, à vino nobili noxam trahit certiſsimam: nobilitas vini fractas ſtomachi vires non tam reficit, quàm opprimit. Ita ipſi nos ſępiſsime perdimus beneficiis. Vinum generoſum inter prima morbi pharmaca connumeramus. Sed heu quantùm erramus, & venenum bibimus pro alexipharmaco! Corpus fovere cupimus, quod ignorantiâ miſerabili deſtruimus. Nimirum juvat ſuaviter perire. Liceat diçere: intelligite inſipientes, & ſtulti aliquando ſapite: Vinum generoſum ac nobile iis (notate dicta) qui ſtomachum aut naturâ, aut ſenio, aut morbo debilem & enervem habent, non tam fomentum quàm exitium eſt. Sed hîc voces mortui uſurpem. *Et nemo credit.* Dictorum teſtes ſiſto loculentiſsimos.

## §. IV.

*Galenus l. de bonitate aquæ, mihi pag. 76. Idē alibi locis quàm plurimis affirmat.*

*Valleſius de ſacrâ philoſophiâ c. 29. fine mihi pag. 237.*

AGmen ducat medicorum princeps Galenus, qui apertiſsimè: Vino, inquit, ſi permiſcueris modicum bonæ aquæ, ad digeſtionem & urinarum ſeceſſionem erit benigna. Franciſcus Valleſius Philippi II. Hiſpaniarum Regis medicus, vir exquiſitiſsimæ doctrinæ hac de re clariſsimè ignaros erudit. Singulas ejus voces fideliter admetiar. Verbum è verbo ita exprimens Valleſius: Iam verò, inquit, nihil arbitror ſtultius, quàm ſenibus caloris augendi gratiâ, vinum abundanter, meracum præcipuè indulgere. Quantò enim vinum calidius eſt per ſeſe, tantò majori ventris ac viſcerum omnium calore opus eſt, ut ſuperetur; alioqui à minori aceſcit, crudúmque ſuccum auget, unde & calorem naturalem ſuffocat, & morbos innumeros parit, ac mortem properat. Quare vinum eſſe lac ſenum, non valdè probo; cenſeo potiùs ſenibus ſenſim eſſe dandum dilutius, uſque dum in extremo ſenio conſtitutis toto vino detracto, detur pro eo mulſa aut decocta aqua. Satius enim eſt permittere calori naturali ſenſim venire ad naturalem interitum, quàm vino obruere, & ſenectam facere miſerabiliorem, & breviorem.

Vinum dilutum ſtomacho debili aptũ.

Ita prorſus ſe res habet. Ergo quò fractior ac debilior eſt ſtomachus, eò minus roboris habeat potus, ut tantò ſit ei convenientior, quantò magis eſt proportionatus & attemperantior. Debilis ſtomachus, & nobile vinum, inæquale connubium & noxium. Hinc Valleſii veriſſima præceptio eſt, vinum tantò dilutius bibendum, quantò provectior eſt ætas; ita quidem ut adultiore ſenio aqua in potum ſubſtituatur vino, quò major inter ſenilem ſtomachum, & naturalem potum ſit proportio. Hæc Valleſius; quæ oraçuli loco habenda. *Sed nemo credit.*

Priori teſti adjungo alterum. Thomas Mermannus Sereniſſimorum Bavariæ Ducum medicus, à medendi peritiâ non Germaniæ ſolùm, ſed & orbi notus, eruditione ac famâ celeberrimus, vir ingenuè candidus, dicere ſolebat: Vinum bonum non minùs difficulter digeritur, quàm bubulæ carnis prægrande fruſtum. Hoc tantus vir affirmatiſſimè ſæpiùs dixit; *Et nemo credit.* Nimirum inter præſtantis vini ignem, & flaccidi ſtomachi frigus nulla eſt proportio. Non conveniunt hi duo adverſarii; hinc inteſtina lis in ventriculi grande detrimentum. Quod Mermannus ſapienter dixit, conſtanter fecit, vinum dilutiſſimum bibit.

Et nos hominum imperitiſſimi, cùm aut ſenectus aut morbus urget, ut ſtomachum flacceſcētem erigamus, vinum Vngaricum, aut Rhenanum, aut Hiſpanicum; Opimianum, Chium, Creticum affundimus. Opportuniſsimè profectò. Quemadmodum pugnus oculo, ita hoc tale vinum ſtomacho medetur. Demum aut ipſe ſtomachus, aut caput membra alia potentioris vini latentem tyrannidem experiuntur. Sed invaletudinis cauſsâ plerumque rebus aliis omnibus potiùs, quàm vino impingitur, inſcitiâ præſigni. Recentiore memoriâ retineo maximorum virorum catalogum, quos omnes non lymphæ cryſtallus, ſed Liberi flos & temetum capulo concluſit. Vinum potens, vinum nocens, niſi mitigetur lymphis. Hîc illud Græcorum veriſsimum: Bonum vinum, malum caput.

Plures homines vino potentiore ſubmerguntur quàm aquis & mari.

Nullus dubito, non tot hominum aquis & mari hauſtos ſubmergi, quot vino potentiore. Optimatum ac principum multorum hoc fatum fuit, eluvione vini generoſioris mergi & interire. Quamvis non rarò pereant hoc genere fati & pauperes. Hi enim cùm ægrotant, optimum ſibi medicamentum eſſe judicant bonum vinum. Huc pecuniolam omnem collocant. Dupliciter errant; partim quia ſtomacho potionem infundunt, cui numquam aſſuevit; partim etiam quia ſtomachi ſive frigus ſeu æſtum infuſo igne Liberi non B emendant, ſed irritant, & provocant ad conflictum ſibi nocentiſsimum. Sidus illuſtriſsimum Anglicani Senatûs Thomas Morus ſapienter prorſus & admodum abſtinenter hac in re ſeſe geſsit. Nam uno tantùm cibi genere in menſâ veſcebatur, quod plerumque caro bubula fuit. Quia verò menſa è ſtatûs & officii decoro ferculis opplebatur, in quodcumque cibi genus primùm incidiſſet, Morus eo ſolo ſe reficiebat. Iuvenis multo tempore vino penitus abſtinebat, at ſenex non niſi dilutum bibebat.

*Stapletonus in vitâ Mori, c. 6. mihi pag. 94.*

Objicias: Ego debilis ſum, ergo vires non malè mihi à temeto, valentiore potu concilio: Ego frigidus ſum, ergo me vino calefaciam. Calefacies, dum occides. Sed ego, ais iterum, vini calorem ſentio ſuaviter diffundi, & vires inde nimium quantum reſtaurari. Ah! quàm pronum eſt & facile ſeipſum decipere? C ſentimus ſcilicet vim vini nobilioris, jámque reſtitutas eſſe vires non inviti perſuademur. Specioſiſſimè fallimur. Siquidem hæc vini modeſta virtus exiguo durat tempore; mox venena ſpargit ut regulus. Nam quò melius eſt vinum, eò potentiùs offendit caput. Hinc plurimæ defluxiones, & varius malorum ordo. Ita profectò noſmetipſos noſtris beneficiis blandè occidimus. *Et hoc nemo credit.*

Illud non negaverim, generoſius vinum à calido & robuſto ſtomacho utcumque ad digeſtionem ſubigi, numquam tamen non aliquid noxæ relinqui. Hanc autem lacertoſus & valens homo non ſtatim ſentit, quia leviores ſtomachi noxas parvi pendit. Quicumque verò ſtomachum vel morbo, vel naturâ, vel ſenio nactus eſt debilem, is omne potentius vinum ut venenum caveat. Matrimonium, ut dixi, nimis impar eſt, frigidus & flacceſcens ſtomachus, cui ſubitò vini occultus ignis infunditur. Sit inter alitum & alimen- D tum proportio.

## § V.

LIcet obſecro, mi Lector, hîc tecum in rem tuam prolixius ſermocinari aſſerendæ veritati. A Franciſco Valleſio & Thomâ Mermanno teſtes alios ſiſto, ut, quod Chriſtus dixit, *in ore duorum aut trium*, imò ſex aut ſeptem, *teſtium ſtet omne verbum.* Hieronymus Cardanus Mediolanenſis, qui de rerum varietate libros ſeptemdecim, qui de ſubtilitate libros viginti unum, qui de tuendâ valetudine libros quatuor, aliaque ſcripſit innumera, vir doctiſſimus perinde ac experientiſſimus hanc controverſiam dilucidiſsimè definiens: Vinum ventriculo amicum, inquit, ob id plerique exiſtimarunt, quòd aqua illi primùm ſit inutilis, deinde quòd eo vires non parum foveantur, &c. Gravior etiam potus melior eſt, ajunt, & concoctiones magis juvat, ſuáque caliditate intemperiem frigidam & cruditates ventriculo familiares emendat. Sed tamen non ſic ſe

*Matt. c. 18. v. 16.*

*In Academiâ Bononienſi Medicinæ Profeſſor clariſſimus.*

*Cardanus l. de Sanitate tuendâ c. 86. mihi pag. 275. editionis Romanæ.*

res habet, ſed velut immoderata, quæcumque utiliores videntur, brevi tempore in ſucceſſu ſatiant offendúntque: ita uſus vini potentis hæc omnia habet, quæ diximus. Vinum potens longo uſu ventriculum enervat (nota, mi Lector, nota) ac ex toto deſtruit, aquâ etiam crudâ deterius exiſtens. Primùm, quòd jecur excalefaciendo cogit cibum crudum trahere, & ipſum inflammando ſitim exacuit, & obſtructiones parit: deinde quòd crudos humores, qui in ventriculo ſunt, celeriùs quàm oporteat, faciat penetrare. Quódque omnium peſſimum, cùm ventriculus naturâ frigidus ſit, ab his confirmatur, quæ nutriendo ſimilia ſunt; à contrariis ſubſtantia illius extenuatur. Vnde qui potenti utuntur vino, omnes brevî, niſi præpinguem habeant ventriculum, tabeſcunt. Accedit incommodum non leve, quòd, ſi quando deficiant ſimilia vina, ventriculus illis aſſuetus ex toto evertitur. Concluſionem addit Cardanus iſtam: Peſſimus igitur potentium vinorum uſus. Sed multi, dices, nobiliore vino juvantur. Cardanum eruditè reſpondentem audi. Quòd ſi qui, ait, à potentibus vinis juvari videntur, hoc non ob aliud contingit, quàm vel ob conſuetudinem; vel quia humor crudus ad venas promptiùs digeritur, malúmque cum fenore commutatur, non extinguitur; vel quia frigida & humida intemperies ventriculum obtinet: ſed ad ea efficaciora ex piperibus & alliis ſunt auxilia: vini enim impreſſio ac vis non videtur utilis, niſi cùm ventriculus nauſeabundus alia averſatur, & hoc unum amplectitur.

*Quæ cùm antiqua ſuerit, & etiamſi mala ſit, obſervanda eſt.*

A ſe dicta ſtabiliens Cardanus: Vinum potens, inquit, exurit jecur; quo malo nihil eſt dirius. Quod enim ſemel uſtum eſt, numquam magis reſtituitur, quàm caro, quàm lignũ, quàm panis aduſtus. Deinde vinum viribus pollens humores crudos deducit ad intima, & ex iis lapides generat. Iam verò ſi copioſum aut potens vinum bibas, idque non mutetur, urit ventriculum & jecur; ſi mutetur, cerebrum petit, furorem gignit atque incontinentiam; aut certè aceſcit, debilitátque non ſolùm ſtomachum, ſed & hepar; pituitam deducit ad nervos, & bilem flavam exacuit. Quòd ſi pituita ſit educenda, id faciet vinum modicum & dilutum. Quis vino deditus bonum finem habuit? &c.

*Vina potentia podagræ amica. Idẽ l4. de tuendâ valet. c.22. pag. 312. Hæc aliquantulum contractiùs hîc recitata, quàm à Cardano ſcripta; ſenſus omnino idem.*

Et ne quis fortaſſè putet Cardanum aliud domi, aliud ſenſiſſe in ſcholâ, ſcripſiſſe aliter quàm feciſſe, prout ſæpiſſimè à verbis divertunt facta; idcirco vir iſte doctiſſimus, ut reverà faceret, quod doceret, & exemplo præceptiones ſuas firmaret, ipſemet vino tenui, & inſuper valde diluto eſt uſus. Dixit, & fecit quæ dixit.

*De hoc vide plura l. 3. de tuendâ valet. c. 84. & 85. pag. 254. & ſeqq.*

Aliud & dixit & fecit vir certè magnus, ſed in rem ſuam minimè cautus. Dicere is ſolebat: Vinum bonum naturæ valde eſt beneficum. Sed quàm errârit, prægrandes duo lapides in mortui veſicâ deprehenſi, ſatis teſtati ſunt, quàm vinum bonum naturæ ſit maleficum. Aquam ille, aut vinum leve ac lymphatum bibiſſet, lapicidinam vivam támque copioſam intra viſcera non aluiſſet.

## §. VI.

SEd, nondum finis teſtium, & quidem omni exceptione majorum, qui à prioribus pronuntiata largiſſimè confirmant.

† Ioannes Zecchius inſignis medicus, Profeſſor primarius Bononienſis, ita verbum è verbo exprimens: Illud unum, inquit, hîc ſilendum non eſt, vinum vinoſum & potens languenti ventriculo nocentiſſimum eſſe, ſi largiùs potetur; ægrè enim admodum ſuperatur. Huic alium teſtem mox ſubjungo.

*† Zecchius Conſult. 71. quâ victùs rationem viro periluſtri præſcribit, & de vẽtriculi imbecillitate diſſerit.*

Alexander Petronius Gregorii XIII. Summi Pontificis medicus, vinum potens quàm maximè improbans, & dilutum, præcipuè ſeni, bibendum judicans: Hinc homines, inquit, & animalia cetera, præſertim verò piſces, qui aquâ paſſim utuntur, ferè perpetuò ſani, quæ eorum eſt natura, degunt: longiorémque vitam homines, qui aquam, quàm qui vinum potant, ſepænumerò ſortiuntur. Et pauculis interjectis, ubi vinum pro ſenibus determinat, ſic ſcribit: Vinum, inquit, eſto, cui quidem ætatis aliquid acceſſerit, non vetus, ſed aut pauciferum, hoc eſt, tenue & oligophorum, aut ſi fortè potens, id vel aquâ ſatis dilutum, vel aliquid hujus generis ſit.

*Alex. Petronius l. 3. de ſanitate tuendâ, toto c. 3. cujus inſcriptio eſt: Seni vinum potens quomodo inutile, aqua verò utilis ſit.*

Prioribus jure meritiſſimo jungendus vel etiam anteponendus illuſtriſſimus omnium dictorum teſtis Iulius Alexandrinus Auguſtiſſimi Imperatoris Maximiliani II. primarius medicus, qui medicorum & hiſtoricorum auctoritate plurimâ inſigniſſimè demonſtrat, vinum aquâ ſemper eſſe diluendum, quæcumque demum humani corporis & valetudinis ſit conſtitutio, idque etiam frigidæ corporis affectione docet convenire. Cúmque plurimos tot teſtimoniorum copiâ ad aſſenſum pertraxiſſet, denique ſibi ipſe objiciens, id forſan de calidis tantùm, & non frigidis naturis eſſe intelligendum: At enim, inquit, in calidis id naturis neceſſarium, in frigidis non neceſſarium. Quomodo, quæſo, non neceſſarium? Siquidem oſtenſum jam illud eſt, papaveris ſucco refrigeratos, vini potu, quod non omnino tamen non admixtum aquæ aliquid contineat, perſanari: ſicque oſcitationes & horrores incoctorum ſæpe humorum, & flatuoſæ humiditatis, frigidáque ſymptomata (quæ omnia in ſenibus reperire eſt) æquæ aquæ viniique portiones, non aliter tamen quàm calefaciendo, tollunt. Minùs ut mirari debeamus, ſi vel opio, frigidiſſimâ re, potionatos, eóque periclitantes, aliquatenus omnino diluti vini remedio curamus. Sed eadem vi argumenti pergit: Hæc apertè (niſi fallor) oſtenderint cujuſcumque tandem generis, aut ordinis, aut conditionis hominibus, ſanis, ægris, neutrâ in parte ſanitatis aut ægritudinis poſitis, temperatis, intemperatis, omnibus diluti quoquo pacto vini propinari uſum ſolitum uſitatiſſimè.

*Iulius Alexand. l. 16. ſalubrium, ſeu de ſanit. tuendâ c. 9. Vinũ aquâ ſemper diluendum.*

Hæc demum effata tam dilucidè quàm eruditè conſignans hic ipſe Cæſareorum medicorum princeps Iulius Alexandrinus: Omnino vetuſtiſſimus mos iſte, inquit, receptiſſimúſque olim diluendi vini, conditionibus hominum omnibus, etiam gentibus, Scythis tantùm fortè exceptis, qui aut nihil aut parum omnino diluto uterentur [a] Atque in hujus theorematis confirmationem varios miſcendorum vinorum modos proponit, oſtenditque quomodo vini caliditas admixtione aquæ retundatur. Huic ſententiæ amicorùm optimus, medicinæ ſcientiſsimus, his omnino conceptis verbis ſubſcripſit: Indubitatum eſt medicis, eos, qui conſuetudine laudabili diluto vino utuntur, commodiùs valere, & diutiùs vivere iis, qui in quotidianum uſum meraciora vina & potentiora admittunt. [b] Addidit, quod ab ore loquentis excepi:

*a Præcepti; Idem Iul. Alex. l. 17. Salubrium, c. 10. & c. 11. Tot locupletiſſimis teſtibus ſuo calculo, imò & chirographo ſuo, ampliſſimè acceſſerunt Sereniſſimi Electoris & utriuſq; Bavariæ Ducis Maximiliani archiatri nobiliſsimi, celeberrimi Dom.*

Si duo adoleſcentuli optimæ naturæ & ſanitatis, ait; unà educarentur pari lege, eodem cibo, paribus ceteris omnibus, ſolo diſpari potu, ita quidem ut alter vinum biberet meracum, iſte verò dilutum & aquatum: hîc ego jusjurandum dare poſsim, iſtum qui vinum bibit dilutum, aliquot annis diutiùs victurum quàm alterum, qui vinum bibit merum aquâ non domitum. [c] Rationes in promptu ſunt. 1. Nobile vinum aquâ domitum multò expeditiùs quàm purum putum penetrat. 2. Aqua vino maritata nocituros vini ſpiri-



*DDDD. D. Georgius Grembſius, D. Ferdinand. Sagittarius, Illuſtris. & Excellentiſsimus Dominus Dom. Anton. à Colle, Comes de Caſanâ, & proximè laudandus D. Thom. Thirmair.* b *Clariſsimus Bavariæ Ducum medicus, Dom. D. Thomas Thirmair.* c *Adjunxit: Si duo carnis fruſta lixentur, vino vnum, alterum aquâ; hoc molleſcet, & probè coquetur; illud lixatum vino coquetur pejùs, & dureſcet. Res explorata.*

ſpiritus, quos vocant, frangit & reprimit. 3. Fæculentæ vini partes, (Chymia Tartareas vocat) longè citiùs ac feliciùs per emulgentes [a] venas deducuntur. Hinc Auſtriaca, Boëmica, Moravica, Tyrolenſia, Franconica, fæcata, non depurata vina [b] tartareas partes in venis relinquunt; ita ſpiritus vini cum vitali ſpiritu ſe miſcet & evolat. Hinc illa ſecretio fæculenta caput & hepar inflammat, renes incendit, nervos contrahit & vellicat, omne genus noxarum & morborum in corpus humanum invehit. Hæc ad verbum Excellentiſſimi Electorales medici. [c] Quorum & iſta ſunt: Habet igitur repreſſio ſpirituum in vino innumeros effectus bonos.

[a] *Quas etiam Veteres vocant.*
[b] *Clariſſ. Dom. D. Hippolytus Guarion. l. 4. de abominand. c. 37. & ſeqq. mihi pag. 676. & ſeqq.*
[c] *Ita Clariſſ. Domin. DD. D. Ferdinand. Sagittarius, & D. Tho. Thirmair.*

En tibi, mi optime Lector, hominum doctiſſimorum ſententias idem aſſerentes, ſibimet ſimillimas. Hic ego liberè proclamo: Mihi unus Plato pro mille eſt, & mille pro uno. Mihi unus Mermannus aut Valleſius pro decem millibus, & decem millia pro uno ſunt. Nec enim ignoro illiteratum errorem illum orbe toto vulgatiſſimum eſſe, *malum ſtomachum vino bono fovendum ac calefaciendum.* Veniã demus fatuæ plebi, quæ cùm maximè ſapit, deſipit. Illud turpius eſt, reperiri homines, ut videri volunt, eruditos, qui hac in re non ſupra vulgus ſapiant, vini nobilioris facundiſſimi patroni. Ignoſcamus & iſtis, niſi enim generoſius vinum tam cupidè biberent, reverà tam ſtudiosè non defenderent. Amant quod ſapit; placet quod delectat; quod ſuave judicatur, tamquam utile defenditur.

Sed, inquies, ſunt non pauci, qui vina bibant generoſiſſima, & tamen optimè valeant. Manum explica, mi homo, & eorum numerum, quos objicis, digere in digitos; non omnes occupabis articulos. Ego verò eos optimè valere nego, qui, ſi vinum cibarium biberent, meliùs valerent. Deinde aſſuetudo longa vim naturæ obtinet: quod diu facere conſuevimus, non continuò rectiùs, non ſalubriùs facimus, ſed faciliùs. Addo: E mille vix unum nominabis, qui nobile vinum quotidie liberaliùs biberit, & admodum diu ſanus vixerit. Atqui unius hirundinis adventus veris præſentiam non promulgat.

Sed objicies denuo: Si præſtantius vinum debiliori ſtomacho cavendum, ergo etiam aromata, & quidquid latentem tegit ignem, vitandum. Rectiſſimè ratiocinaris. Modicus & parcus aromatum uſus non omnino excludendus, uti rationes de vino docent, ſed crebriorem illum & largiorem piperis & ſimilium condimentorum uſum ab imbecilliore ventriculo arcent periti. Contrarium, rebus valde contrariis, ut diximus, peſſimè curatur. Galeni dogma eſt: Contrarium curandum modicè contrario. Frigidum ſtomachum vino multi caloris velle curare, inſania eſt. Hoc enim eſt contrarium valde contrario perſanare velle.

*Luculentiſſimus teſtis Galenus: Auſtera vina, inquit, ventriculũ roborãt, cujúsque inter omnia vina minimè tentant. l. 12. meth. c. 4. circa finem mihi pag. 76. Vina candida & auſtera, inquit Cardanus, omnium videntur eſſe præſtantiſſima. Cardan. l. 3. de ſanit. tuendâ, cap. 86. mihi pag. 257.*

Vir eruditus è medicorum ſenatu (quem recentiſſimè memini me legere, & ab ipſo dicta in excerpta mea referre) expreſſiſsimè docet, malo ſtomacho vinũ auſterum longè meliùs convenire, quàm vinum nobile ac multarum virium. Et ratio apponitur: Priuſquam enim ſtomachus actionem ſuam incipiat, aut certè antequam abſolvat, vinum generoſum nondum concoctum fugit & elabitur, atque in alias ſeſe partes penetrat cum valetudinis certâ noxâ.

Pæne ridiculum eſt, quod ſubjungo. Anno Chriſtiano milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo, menſe Majo, cùm equites Suecici Eberſpergam Bavariæ oppidum expilarent, vinum ſublimatum & ardens in cadum obvium effuderunt temere, ut quantum quis vellet, biberet. Ad ineptum hunc potum & vitulus acceſsit, hauſitque liberaliùs: ſed brevî concidit mortuus. Quòd ſi ſtomachus pecudis calidiſsimus hos ignes nequiit concoquere, quomodo debilior hominis ſtomachus flammam vini adeò ſibi non attemperati digerere poterit?

## §. VII.

QVòd ſi & me quoque, mi Lector, in teſtium partem admittis, dicã, quod mihi jam pridem experientiâ conſtat certiſſimâ. Ego ſanè niſi hactenus conſtanter tot annis vinum omne generoſum cautè repudiaſſem, & etiam cibarium aquâ manſuefeciſſem, jam dudum cum mortuis habitaſſem. A vino diluto mihi multiplex & grande cõmodum. Siquidem ad hoc ævi infeſtam podagram, & atrocem nephritidẽ, ceteroqui hæreditarium à matre malum, & quoſcumq; morbos alios ſubterfugi, venam numquam aperui, nullum umquam fonticulũ admiſi, numquã dum in hac Societate verſor, decubui. Hæc valetudinis cõſtantia in acceptis referenda diætæ, ſeu religioſæ abſtinẽtiæ. Proinde rectiſſimè fecerit, qui, quamprimùm valetudinem ſenſerit turbatiorem, mox ad ſtrictiorem abſtinentiã paraverit recurſum. Auſim dicere: Initium morbi quodcumque jejuniis poſſe jugulari. Quod hactenus ſecuriſsimum eſſe pharmacum manifeſtò comperi. In Boëmia morbum militarem, ſeu febrim ardentem, ſudor & jejunium tam in me quàm in aliis pluribus diſcuſsit. Qui ſeſe invitàrunt largiuſculè, perierunt. *Anno 1610.*

Vinum potens, vinum nocens: vinum dilutum, ſaniſsimum. Si quis autem compendio noſſe cupiat prima valetudinis fundamenta, tres maximè præceptiunculas attendat. Prima eſt: Omne genus pomi [a] fugere. Altera: Corporis motum non negligere, & quotidie horam unam minimùm, quod Alexander Severus fecit, obambulare. Tertia: Vinum cibarium probè dilutum, & ſimul abſtinentiam tutiſsimam valetudinis cuſtodiam ſummi facere. Præceptionem hanc triplicem poëſis priſca tribus verſiculis etſi non non politiſsimis eſt complexa:

*Vt tibi non malè ſit, fuge quidquid in arbore creſcit.*
*Servares vires, rura frequenter obires.*
*Bacchus amet Glaucum* [b], *victum quoque ſumito paucum.*

*Gregorius Nazianzen. in ſuis Tetraſtichis ita canit: Vinum, libido, livor, & dæmon pares: Hos mente primum, quos teneas. His tu precemederere, faſciis, lacrymis, jejunio.*

Huic ego trigemino pharmaco, & alii mecum, gratias agimus maximas, & omnem valetudinem referimus acceptam. Quâ de re luculenter Hieronymus [c] Cardanus: *Docebo*, inquit, *quonam pacto, animi ſpes atque lætitia vitam non parum prolongent, abſtinentiáque à cibo. Oſtendam autem jejunia hominem extenuare, vitæ longitudini minimè obeſſe.* Sed hoc toto libro ingerimus. Ohe ſatis eſt. Ad littus capitis appellimus.

Reverà vis mira, vis magna eſt abſtinentiæ, ſed ea non nota eſt, niſi ei quem longanimis ac patiens uſus experiundo edocet. Macarii verbis è Caſsiano annotatis finio. [d] *Iejuna, ac ſi centum annos victurus; comede ac ſi illo die moriturus. Ad menſam velut ad medicinam accede.* Hæc monemur, *Et nemo credit.* Ego rideo; ſuperis committo cetera.

Cogitate, quæſo, quot Germanorum Italia & Hiſpania ſepelierit: animoſiora vina illa tumulum effoderunt, & eò bibones ſuos dejecerunt. Hi certè Italico aut Hiſpanico vino Germanicum ſtomachum ita calefecerunt, uſque dum calorem omnem ſimul & animam expulerunt.

Eadem aut priori ſimillima eſt intemperantia, cùm urente Sirio æſtuantem ſtomachum conamur refrigerare hac tam pulchrâ methodo: Primùm, lactucam ingerunt acervatim; addunt cereviſiam aut vinum è ceraſis duraciniis; ſubjungunt cucumeres, qui ut ſuum habeant vehiculum, lac eis additur, aut vinum glacie gelatum. Hoc pharmacum tam ſalubriter refrigerare ſolet, ut intra triduum quatriduúmve hominem ſuaviſsimè mittat ad plures. Sicut igitur ceraſorum aut cucumerum frigus, ſic vini & aromatum calor ſtomacho non attemperatus, hoſpitem ſuum jugulat, ſed

[a] *Philemonus propter triginta duobus annis nullum fructum attigit. Pallad. c. 113. ap. Roſweyd. mihi pag. 770. Sed & Galenus medicorum Phœbus frequenter abſtinuit fructibus.*
[b] *Aquam, Glaucum, Hippolochi filius in ſuum mortuus fugitur. Glaucus alius piſcator Deus marinus factus creditur.*
[c] *Cardan. l. de ſanit. tuend. c. 11. mihi p. 5*
[d] *Caſsian. collat. 21.*

violentiâ plerumque lentiore. Hîc omnium optima & tutiſſima eſt medicina, jejunium & abſtinentia.

Objicias forſan denuo: Ego non niſi ſelectos & digeſtioni aptos cibos in menſam admitto, qui nec ignes mihi nec frigora propinent. Sit ſanè; nihilominus varietas ciborum inimiciſſima valetudini; quidquid ſalubritatis eſt in alimoniâ, corrumpit copia. Priſcum illud, *Ne quid nimis*, in tam amabili ferculorum diſcrimine vix umquam ſervatur; ubi autem nimium, ibi vitium. Ignem paſcunt ligna, ſed & ſuffocant, ſi multa nimis aut humida ingerantur: ita cibus æquo copioſior ingeſtus, aut ſtomacho non attemperatus, non tam reficit, quàm interficit. *Ita & cibus*, ait Chryſoſtomus, *ſi plus quàm concoqui poteſt, ſumatur, morbis corpus infeſtat. Vnde enim podagræ? unde pendula rigidáque corpora, nónne ab immodicis cibis?* Quâ in re nihil opportunius jejunio & abſtinentiâ, quæ ciborum ſubtractione efficit, ut ignis nativus vires ſuas explicet. Oraculum vetus & verum:

*Chryſ. to. 7. in cap. 25. Act. Apoſt. ho. 51. mihi pag. 662.*

*Eſurias, ſitias, vigiles, ſic rheumata cures.*

Infeſtant catarrhi? fame ac ſiti medicinam facito, ſomnos prolixiores caveto. Abſtine, abſtine:

*Nam morbos multos fercula multa ferunt.*

Jejunium errores gulæ corrigit.

Varietas non alit, ſed inquinat. Errores gulæ ſine ſumptu corrigit jejunium: complurium prandiorum ac cenarum intemperantiam emendat abſtinentia. Verſiculi priſci veriſſimi:

*Vetus Trochaicus & Iambus.*

*Abſtinentiâ ac quiete morbos cures plurimos:*
*Eſt ſanitatis mater abſtinentia.*

Nil certius: In multis eſcis erit infirmitas: qui autem abſtinẽs eſt, adjiciet vitam. Hoc autem probè ſciamus, cibi appetentiam longè fallaciſsimam eſſe. Mentitur & decipit facillimè, ſi credulum habeat auditorem. Hanc ob cauſſam Hugo Victorinus eam in comedendo menſuram ſibi ipſe præfiniit, ut nec contra honeſtatem, nec ſupra neceſsitatem quidquam tangeret edulii. Nam tantum cibi & potûs adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Appetentia ſine fine ingerit, modum neſcit, paratis ſemper ratiunculis infinitè fallit. Hinc ſæpe non rerum uſus, ſed cupido & appetitus in vitio eſt. Fieri enim poteſt, ut ſapiens pretioſiſsimo cibo ſine voracitatis nævo veſcatur, inſipiens turpi gulæ flammâ in viliſsimum olus exardeſcat. Gregorio teſte, *ſolus in illicitis non cadit, qui ſe aliquando & à licitis cautè reſtringit.* Quæ Auguſtinus ampliſsimè confirmans: *Qui carnem* inquit, *à nullis refrenat licitis, vicinus eſt & illicitis. Licita eſt ſatietas, illicita eſt ebrietas: tamen modeſti homines ut longè ſe faciant à turpitudine ebrietatis, caſtigant ſe aliquantum & a libertate ſatietatis.*

*Cato Major de ſenectute.*

*Greg. l. 5. Moral. c. 8. mihi pag. 508.*

*Aug. to. 9. tract. de utilitate jejunii c. 5. mihi pag. 328.*

## CAPVT V.

### *Iejunium medicamentorum omnium medicamentum prorſus opportuniſsimum.*

GERMANI veteres ſapienti diverbio tuendam valetudinem ita docuerunt:

Pro ſanitate ſervanda tria monita.

*Vis ſanus permanere?*
*Horis omnibus exercere:*
*Curſum canis non æmulare:*
*Modico cibo utere.*

Primum.

Hîc monitum triplex: Primum: Qui corpus cupit habere ſanum, habeat exercitatum.

*Ovid. l. 1. de Ponto eleg. 6. initio.*

*Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,*
*Vt capiant vitium ni moveantur aquæ?*

Aſsiduè ſedere, libris aut lecto ſemper incumbere, hypocauſto numquam exire, valetudinem tacitè corrumpit. Alterum: Ne curſu cum canibus certa. Vt corporis exercitium ſit ſanum, non ſit violentum. Ambulare, equitare, navigare, labores aſſumere, etiam currere conducit, ſed uſque dum incipiat ſudor prorumpere, non ubertim fluere: ita Medicorum ſenatus jubet. Exercitia violenta minùs ſunt ſalubria. Tertium: Modico cibo utere. Hoc ultimum optimum. De hoc ſuperiori capite diſſeri cæptum: allatas rationes nunc aliis firmabimus, ut nemini non conſtet veriſsimè dictum: *Eſt ſanitatis mater Abſtinentia.*

Secũdum.

Tertium.

§. I.

AD Siracidæ teſtimonium, ad geminæ rationis firmamentum accedunt effata omnium ſapientum. Ego hîc more meo non colligam; ſed ſeligam. Hippocrates Cous Medicorum facilè princeps, in Macedoniâ ſub rege Perdicâ vixit: ad annum ætatis centeſimum quartum pervenit, innumera ſcripſit, in illius libros Galenus Syllabum alphabeti ordine confecit, ſcripta illius omnia Baſileæ, Venetiis, Lugduni, edita ſunt Anno 1538. & 1544. & 1552. & 1580. & 1582. Hic ille tantus vir tuendæ valetudini triplex documentum tradidit. I. Bene ſe habere ad labores. II. Corpus cibis non ſatiare. III. Conſervare ſeminis ſubſtantiam. His iſta ſunt affinia ejuſdem Hippocratis ſcita: Non pura corpora quantò plus nutries, tantò plus lædes. Vbi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt, hic morbum facit. Corporibus carnes habentibus humidas famem adhibere convenit. Reverà Hippocrati Temperantia eſt medicinarum omnium præſtantiſsima, & ipſiſsima ſanitatis mater. Sed antiquiſsimo è recentioribus unum alterúmve ſubjungamus: Caſtor Durantes nobiliſsimus ab Italiâ medicus phaſianum ut alitem laudatiſsimæ carnis, ſucci optimi, excrementi pauciſsimi præ omnibus eduliis commendans: Si tamen, inquit, plus æquo comedas, nocet, & podagræ fluxiones movet. Vt ergo non noceat, minùs comede, & partem ægroto pauperi mitte. Certiſsimum, alimenti vel optimi moles immoderata rectè confici non poteſt: corpus ea prægravat, & ſomnolentum, pigrum, ſiticuloſum reddit: innumera ſequuntur incommoda.

*Vixit Hippocrates anno mũdi 3573. ævo Socrat. Parmenionis, Sophoclis; ante Chriſtũ natum mille ſeptingentis annis.*

Galeni tuendæ valetudini triplex documentum.

*Hippocrates ſect. 2. Aphoriſ. 10. & apho. 17. & ſect. 7. aphor. 61.*

*Durantes in Theſauro ſanitatis de ſanitat. & vitio alimentorũ c. de Phaſiano.*

Hæc celeberrimus Medicus Ioãnes Iacobus Weckerus compendio percenſens: Multa alimenta, inquit, quamvis ſint optimi & plurimi ſucci, frigidos tamen morbos excitabunt. Eſt enim immodica repletio tam cibi quàm potûs omnino pernicioſa. Quamplurimi namque homines repletione nimiâ interière. Alimentorum enim abundantia eo pacto naturalem noſtri corporis calorem ſuffocat, quo magna lignorum ſtrues incenſum ignem; & olei plus quàm par ſit, lucernæ & lampadis flammam extinguit. Ideóque ejuſcemodi victus immoderatus cruditates generat, Stomachi dolores procreat, Ructus commovet, Iecur & Lienem obſtruit, Compagines afficit, Calculum in renibus cogit, Melancholicos morbos efficit, Ægritudines pituitoſas parit, Malos abſceſſus colligit, Nauſeam inducit, Ventriculi & iliorum profluvia excitat, Intellectum & reliquas animales facultates deſtruit, Colicam facit, Humores omnes corrumpit. En Lernam malorum. Verùm in hæc mala omnia non præſtantiſſimum tantùm, ſed & tutiſſimum eſt remedium Abſtinentia & Iejunium.

*Veckerus, qui utriuſq; Medicinæ Syntaxes ſcripſit l. 1. par. 3. mihi pag. 114.*

Incõmoda quæ proveniunt ex alimentorum abũdantiâ.

Carolus Piſo Lotharingus, Henrici II. Ducis medicus, erudito ſcripto de morbo Arhtriditis curando diſſerens: Odium, inquit, illi eſſe debet cum fructibus omnibus: In victu, & præſertim potu, parciſſimus ſit: Cenâ ſæpius abſtineat. En antiquiſsimi & recentiſsimi è doctis hoc ipſum voce unâ teſtantur: Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.

*Pag. 373. editionis meæ.*

*Eſt ſanitatis mater Abſtinentia.*

Quòd autem medicis hac in re jure merito credendum ſit, oratorem aureum habemus teſtem. Chryſoſtomus ſummis encomiis jejunium extollens: *Magis autem*, inquit, *ſi rem diligentiùs volueris intueri, & ſanitatis*

*Chryſ. to. 5. ho. 1. de pœnit. mihi pag. 719.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*tis bonæque habitudinis partem invenies. Atque ſi meis ſermonibus derogas fidem, de his filios medicorum percunctare : ipſique eadem manifeſtiùs explicabunt, qui Abſtinentiam, Matrem ſanitatis appellant.*

*Matt. c. 26. v. 65.*

Non hîc cum Hebræo Pontifice exclamem : *Quid egemus teſtibus ? ipſi audiſtis*. Hinc rectè concludimus. Si quis memoriâ calleret, quidquid Hippocrates, quidquid Galenus & Avicenna, ceterique ab his peritiores medici omnes ſcripſerunt; ſi quis herbarum, lapidum, liquorum vires exactè noſſet; ei nihilominus abſtinentiæ virtus multò plus prodeſſet ad valetudinem & vitam propagandam, quàm omnis illa ſcientia jejunii & abſtinentiæ viribus deſtituta. O bone Deus, quàm multis ægrotorum millibus longè conſultius foret, parum comeſſe, vel etiam dies totos à cibo temperare, potum non haurire, ſed lentiſſimè ſorbillare, quàm tot catapotia glutire, tot lambere ſyrupos, tot pharmaca, & pæne tota exhaurire pharmacopolia! Quantos ego ipſe novi, qui ejuſcemodi eruditâ pharmacorum repetitione ſeipſos placidiſſimè occiderunt: qui, ſi biduum triduúmve inediâ ſe macerare ſuſtinuiſſent, ſanitatem integram, rem omnem reſtituiſſent.

Abſtinentiæ virtus ad valetudinē propagandam prodeſt.

*Servire ventri, morbus eſt graviſſimus.*

Sed nos licet amantes vitæ, nonnumquam mori malumus, quàm eſurire. Italos medicos ſummè laudo, qui hercle ſapienter morbos omnes aggrediuntur inediâ: Hac catapultâ in hunc hoſtem pugnant. Sapientiſſimè Cùm enim omnis ferè morbus originem trahat à repletione aut intemperie, rectè omnis morbi curatio exordium ſumit ab inediâ & temperantiâ. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam* : Eſt ſanitatis mater abſtinentia.

*Eccli. c. 37. v. 34.*

*Corpore eſſe vis robuſto ? victu ſimplici utitor.*

## §. II.

AD ſapientum effata, addo exempla doctiſſimorum hominum perinde atque ſanctiſſimorum. Verùm nimis prolixum cenſeam, narrationem hîc ordiri de iis, qui abſtinentiâ rigidâ, jejuniis multis & continuis produxerunt vitam ad octogeſimum, nonageſimum, centeſimum annum & ultrà. Nominemus pauculos, etiam è ſummis faſtigiis. Aurelianus Imperator ſexaginta ſex annis vixit, nullum umquam pharmacum ſumpſit, nec venam incidi paſſus eſt, ut ſuprà demonſtratum; ſed ei loco pharmacorum omnium fuit, quotidie horam unam obambulare, quot menſibus diem totum cibo potúque penitus abſtinere. Auguſtus Cæſar ipſis quinquaginta ſex annis Imperatorem egit Romanum, anno ætatis ſeptuageſimo ſeptimo defunctus, & tamen, quod Suetonius teſtatur, cibi minimi, & vini parciſſimus fuit. Plato annis octoginta vixit ſobriè prandendo, numquam cenando, Hermodicus fractis planè viribus, & à phthiſi graviter infeſtatus, ſobriâ diætâ centeſimum annum, Democritus & Hippocrates centeſimum quintum annum attigerunt victûs parſimoniâ.

Vita in aliquibus abſtinentiâ rigidâ producta.

Hos multum ſuperârunt à Chriſtianâ religione ac virtute nobiliſſimi. Hilarion etſi naturâ tener, etſi annis plurimis numquam pranderit, etſi quotidie ſolam cenulam eámque tenuiſſimam ſumpſerit, ad annum tamen octogeſimum quartum vivēdo pervenit. Eamdem ferè metam vitę contigerunt Auguſtinus & Hieronymus; Paphnutius, Macarius, Franciſcus de Paulâ annos nonaginta nati obierunt. Antonius ad annum vitæ centeſimum, Vdalricus Patavinus Epiſcopus ad centeſimum quintum pervixit. Simeon Stylites centum & decem, Paulus I. centum & tredecim †, Arſenius & Romualdus centum & viginti annis inter vivos egerunt, rigidiſſimis, perpetuis jejuniis. Ceſſo recitare illuſtria nomina ; neque hîc catalogum texam. Hoc alibi explicatiùs docemus. Non ſatis exemplorum ? Quid egemus teſtibus ?

*† Ali ajũt, quindecim.*

*Vide partem 1. Roſarum, roſâ 11. §. 4.*

A Hîc edones & gulones, & manducones, omnes amiciſsimè iuterrogo, quâ ratione Hippocrates annum centeſimum quintum, Galenus centeſimum vigeſimum vitæ ſit aſſecutus? Num epulando & potitando, an potiùs abſtinendo & jejunando? Iejunârunt reverà ſtrenue. De Galeno conſtat, eum nil crudi, nil fructuum aut pomorum comediſſe, de menſâ ſemper ſurrexiſſe non expletâ fame, quod divus Hieronymus triduano jejunio præponit. Hippocrates præceptionum ſuarum obſervantiſsimus, abſtinentiâ incredibili ad illud ævi pertigit. Atqui hi jejunârunt non Chriſto, non cælo, ſed valetudini & vitæ productiori. Zeno Citticus, Suidâ teſte, obiit nonagenarius, cibo ſubinde adeò abſtinens, dum inediâ deficeret. Hinc vetus illud verbum : *Zenone continentior*. Obiit morborum expers, & ſanus perpetuò propter ſummam victûs frugalitatem & parſimoniam.

*Aut, ut alii, centeſimum quadrageſimum. Vel, ut aliquibus placet, ſeptuageſimũ tantùm ætatis anni attigit.*

*Suidas mihi pag. 366.*

Sapiens & divinus Plato ad Dionis cognatos, B teſte Tullio, epiſtolium ſcripſit, cui verba hæc inſeruit. Nullo modo placuit bis in die ſaturum fieri. Hinc Timotheus Platonis amicus dicere ſolebat: Cenare apud Platonem adeò non offendit valetudinem, ut quis altero etiam die apud eumdem poſsit convivam agere, interim nec caput nec ſtomachum ſentiat gravatiorem. Hæc ſapientum erat cena, eáque de die unica, quæ nec ſomnum nec antelucana ſtudia impediret.

*Cic. l. ult. Tuſcul. quæſt.*

Nec aliter Maſiniſſa Rex Numidiæ vitam inſtituit; qui ſemel dumtaxat de die comedit, idque ſine condimentis & pulmentis, quod etiam nonagenarius obſervavit : &, quod Frontinus memorat, plerumque ſtans aut obambulans in caſtris ante tabernaculum prandere ſolitus eſt. Haud aliter Rex Ponti Mithridates jam ſenex ad ſumendum cibum non accubuit, nec aſſedit, ſed ſtetit: hac ipsâ ſtatione C teſtatus, ſe id obiter ac breviter facturum, quod plurimi ad prolixas horas facerent ſummâ induſtriâ.

*Frontin. l. 4. Strateg. c. 3.*

## §. III.

HIc forſan obducas : Hæc olim facta jam pervetuſtæ veritatis ſunt : deinde in regionibus alio ſole calentibus, ubi aura ſalubrior, cibatus longè alius & præſtantior. Nos aquilonem habitamus, & frigidam Germaniam : quid miri nos illis eſſe paullulùm voraciores ? Audio. Ergo ad noſtrum ævum, & ad homines nobis non ignotos veniamus.

Ante annos non multos Ludovicus Cornarus Venetus ad annum pæne centeſimum ſanus, valens ac vegetus, ætatem duxit hac diætâ. Per annos plurimos die ſolido ultra offulam, panis fruſtillum, & ovum unicum, nil edulii libavit, ſeu quod idem eſt, ad dimenſum quotidie vixit duodecim cibi unciis, in poD tum ultra uncias quatuordecim non admiſit, ſeu quartam partem è menſurâ vini. Hac tam conſtanti & ſobriâ vivendi ratione id aſſecutus eſt, ut anno ætatis octogeſimo ſaniſsimus, & velut juvenis ad omne corporis exercitium eſſet vegetiſsimus; anno nonageſimo quinto publicis typis mandanda ſcripſit etiam tunc vivaciſsimus ſenex.

*Mih... 498.*

Reverà vires Abſtinentiæ nec capimus, nec credimus, ſed nec eas experiri audemus, animalia in noſtram perniciem tam timida quàm voracia. Sed fruſtra ego ſim, & riſui me propinem, ſi his talibus perſuadere velim, ut cibum ad dimenſum capiant, & ſolis in diem duodecim unciis victitent, potum ad libellam unciarum quatuordecim examinent : Non hoc ago, ſed virtutem ac vim jejunii explicare cogito.

*Iſai. v. 1...*

In quem finem illud teſtimonii non omiſerim. Vir ſummæ auctoritatis & illuſtriſſimi nominis mihi faſſus eſt, ſe in Italiâ graviter febriiſſe : ſingulis verò diebus & quidem totis non niſi offulam unam è pane, medi-

*Vna panada, panatella.*

medicorum juſſu in corporis refectionem accepiſſe, cùm lautiſſimè haberetur, ovum unicum acceſſiſſe. Ita intra dies quatuordecim febris omnis evanuit, nullis aliis pharmacis, quàm fame, admotis. Famem recuſat tolerare febris; nam potiùs hoſpitium ſuum deſerit, quàm ut eſurire diſcat.

Idem aſſeruit de ſeipſo vir illuſtris & perquam eruditus, è cujus ore hoc teſtimonium excepi: Maligna me febris, ajebat, terribili aſſultu invaſerat, & videbatur captivum ſuum miſerè ac diu vexatura. Ego ſalubrioris conſilii certus in famem obſtinavi, & triduo toto non tantum comedi, quantum modica ſcutella contineat. Ita febri nervos omnes incidi. Nam illa elapſo hoc triduo velut umbra fugax evanuit. Hinc ars Medicinæ in Italiâ, ut dixi, omnes omnino morbos rectiſſimè adoritur fame ac inediâ. Ævo Neronis medicus fuit, cui nomen Theſſalus: hic ægris omnibus initio morbi triduanam inediam indixit. Rectè ac ſalubriter. Sed ô quanti ſunt, qui ægrotare mallent quàm ita revaleſcere!

Addo firmandis jam dictis. Plurimos ego ipſe novi, qui ad octogeſimum, nonageſimum & plures annos produxerunt vitam, de quibus omnibus rectè dicetur illud: Si eis longior fuiſſet menſa, brevior fuiſſet vita. Longiorem appello menſam, quæ ad lubitum appetentiæ cibum potúmque ingerit, quæ invitatiunculas ad bibendum crebriores habet, ubi eſtur & bibitur, quantum ſatis eſt, & plus quàm ſatis eſt. Hæc menſam quidem longam, ſed brevem faciunt vitam.

Ante annos non multos, quod recentiſſimè memini, vir primi nominis, qui ad omnes, putem, Europæ principes Legatus ab Imperatore miſſus, demum ſanctioribus conſiliis in animum inductis, in minimam Societatem IESV cooptatus eſt: ſed hoſpitem ſecum adduxit infeſtam podagram, quod unum pæne à religioſo vitæ genere abſterruerat. Sed ubi unum alterúmve annum inter religioſos homines brevi mensâ, tenui ſalino, juſculis & oluſculis cœpit vivere, delicata podagra tam curti victûs impatiens valedixit, aut ſi rediit, quaſi furtivè ac vellicatim id fecit. Dum hæc chartis mandarem, etiamnum Romæ vixit vir iſte religioſus, mihi familiariſſimè notus, cujus & litteras eſt monſtrare. Nimirum febris & podagra, ſed & omnes morbi aliò migrare malunt, & procul exulare, quàm inediam tolerare. Confirmo dicta.

## §. IV.

*Mihi pag. 498.*

LVdovicus Granatenſis apprimè pius & diſertus ſcriptor, libro quem Devotioni conſecravit, rem miriſſimam ſimul & teſtatiſſimam enarrans: Dum hæc ſcribo, inquit, vir quidam in Italiâ chiragrâ & podagrâ bis térque miſer, nam & ceterorum omnium membrorum uſu deſtitutus erat. Hic ab inſidiatore hoſte loco tutiore deprehenſus in turrim abreptus eſt. In hoc carcere victus illi quotidianus fuit parciſſima panis buccella, & aliquid tepidæ fœtentis aquæ. En omnis menſæ apparatus, panis arctus & aqua brevis. Quatuor annos his lautitiis vixit. Mutatis demum rebus ex alto ergaſtulo emiſſus eſt ſanus, integer, ſoſpes, vegetus, ſine chiragrâ & podagrâ, colore vultûs commendabili. Vivit etiamnum, teſte Granatenſi, vir iſte qui turri & fami ſummas agit gratias; inſuper flexis genibus, quotidianis precibus Deo ſupplicat pro illius incolumitate, qui ſeſe in latebras ſibi tam ſalutares conjecerat. Num iſta credimus? Vix dubito. At interim bonum eſt re ſuâ ventrem non fraudare, ſuave eſt bene paſci, largiter obbibere. Quid hîc aliud vociferer? Ite domum ſaturæ, ite capellæ, ite; cuticulam mulcete, & curate, ut vobis bene ſit, quidquid denique ſequatur morbi, quidquid ab æternitate immineat ſupplicii. Bonum eſt bene paſci, bonum eſt non eſurire, bonum eſt inediam omni acceſſu prohibere.

*Iſai. c. 30. v. 10.*

Obſecro te, mi Lector, Gymnaſium Patientiæ adi, & Pechium podagricum inſpice, qui annis novemdecim ſpecu abditus pane ſolo & fonte vixit, ſed podagram omnem ſic abſterſit, ut ea in totam reliquam vitam manſerit expulſa.

*Gymnaſiũ Patientiæ parte 2. c. 1. §. 3.*

Atque hæc, quæ narravimus, nil ſupra naturæ vires poſtulant. Si Danieles, ſi Ananiam & Azariam, ſi Miſaëlem, ſi ſimiles in exemplum abſtinentiæ traxiſſem, eſſet non nemo qui clamaret: Hæc naturalia non ſunt, hæc humanas vires excedunt.

Hoc igitur agamus; Vos ipſi, qui hæc legitis, homines vobis ſeligite notiſſimos, qui cibo potúque, qui omni cupediarum genere abundant, qui delicatè comedunt & copiosè, qui nihil famis tolerant, quibus ſitire nefas eſt hos ipſos inſpicite. Ah, quàm pauci horum ad ſeptuageſimum, quàm longè pauciores ad octogeſimum annum ætatem extrahunt? Labores iis vitam non rapiunt; edunt bene, veſtiuntur commodè, habitant laxè, cubant molliter, dormiunt ſatis, vix quidquam laborant, recreationibus vacant perpetuis, & tamen rariſſimè ſunt longævi. Contrà verò tot millia pauperum, qui parcè comedunt, malè veſtiuntur, anguſtè habitant, ſtrato jacent rigido, non ſatis dormiunt, in continuis laboribus ſunt, procul omni recreatione agunt; & licet quotidianis ſudoribus ac jejuniis videantur exhauſti, tamen ſæpiſſimè ad octogeſimum, nonageſimum, centeſimum annum, & ultra perveniunt.

## § V.

ABſtinentia medicina omnium tutiſſima. Subinde quæſtio grandis naſcitur: Quid ſit *medicè vivere*? Ad quæſtionem non illepida ſuppetit narratiuncula: Pyrrhiniculus Vaſco iter fecit peregre. Hunc ſerus veſper fatigatum ad tabernam inopem deduxit. Appoſita eſt cenula, ſed omni ex parte olitoria, meris herbis compoſita. Cui tamen vinum additum, ſed dilutiſſimum, & à quo nulla ſanè intemperies cerebro metuenda. Ita cibus, panis, potus, omnia quàm parciſſimè ſubminiſtrata. Vbi finem habuit hæc cena, quæ pæne principio caruit, ingenioſus diverſitor cauponem ad ſe accerſens: Obſecro te, inquit, medicum mihi voca. Mox caupo: Ecquid malum, inquit, in agreſti viculo poſcis medicum? Hoc genus hominum nobis hîc ignotum. Cui ſubridens hoſpes: Num, ô bone, teipſum ignoras? Cenam mihi planè medicam appoſuiſti. Agnoſco valetudini eâ re inſigniter conſultum. Vt igitur merces operæ reſpondeat, cape medici non cauponis pretium

*Adrianus Barlandus in dialogis, de inferioris Germaniæ oppidis.*

Menſa ſobria, medicina omnium præſtantiſſima. Hoc omnino medicè eſt vivere. Quâ in re nonnunquam belluæ plus quàm homo ſapiunt. Serpens cùm ſenectus gravior obrepit, ut vetuſtam pellem exuat, diebus pluribus jejunat. Leo & lupus nimiùm ſaturi, ut morbum caveant, medicè vivunt, vix quidquam guſtant. Ita vel à brutis animantibus humana eruditur gula. O gula vitiorum janua, Adami ruina, valetudinis fovea, vitæ rapina, Eſau præcipitium, Iſraëlitarum interitus, mortalium violenta & ſæva nimis domina! Iure indignatur Satyricus:

**Menſa ſobria medicina omnium præſtantiſſima.**

*——— quanta eſt gula, quæ ſibi totos*
*Ponit apros, animal propter convivia natum!*
*Pœna tamen præſens, cùm tu deponis amictus*
*Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.*
*Hinc ſubitæ mortes; atque inteſtata ſenectus.*

*Iuvenal. ſat. 1. v. 140.*

Quaſi verò, inquit, non ſatis poſſit farciri venter, niſi apri menſis inferantur integri †. Hoc tamē boni habet gula, præſentem ſecum adducit pœnā. Cùm cibi plus æquo ingeruntur, remanent crudi & indigeſti. Ita ſtomachus

*† Primus id auſus eſt P. Servillius Rullus. Plinius lib 8. nat. hiſt. c. 51.*

machus nimiùm fartus pavonum, gallinarum, caponum, anatum, aliarúmque avium cupedias nondum digeſtas ad balnea [a], ad ſphæriſterium, aut etiam ad lectum [b] defert. Hinc variæ cruditates, hinc frequentes morbi, hinc properatæ mortes. Horum omnium malorum una epularum ingurgitatio eſt cauſſa.

*[a] Perſius ſat. 3. Turgidus hic epulis atque albo ventre lauatur.*
*[b] A cibo ſtatim exercitari aut cubitũ ire, ſingulariter noxiũ.*
*[c] Eccli. c. 37. v. 34.*

Ergo, ſi abigendus ſit canis, oſtendendus ei lapis; ſi deſpumet olla, ſubtrahendus ignis; ſi recalcitret equus, minuendus ei paſtus; ſi malè obtemperet caro, edomanda eſt jejuniis.

Ecquid ampliùs egemus teſtibus? [c] *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam*: Eſt ſanitatis mater Abſtinentia. Quid ergo formidamus famem exiguam, qui cenam adituri ſumus æternam? Quid jejunia horremus, qui deliciis paſcemur immortalibus? Satiabimur, cùm apparuerit gloria Domini.

## CAPVT VI.

### *Iejunium nobile ac Spartanum omnis cibi condimentum.*

ANNÆVS Seneca eruditionis princeps, idea morum nobiliſſima, non ſolùm alios abſtinere docuit, ſed & ipſe abſtinuit, & longè ſeveriùs quàm docendo ſuaſit. Habuit Seneca inter amicos hominem opulentum & delicatum, Equitem Romanum Lucilium, ad quem pleraſque omnes epiſtolarum miſit. Huic viro abſtinentiam ſæpiùs inculcans: *Tecum ipſe diſpicias*, inquit, *quid ſit neceſſarium, quid ſupervacuum.* Præceptio prorſus aurea: Neceſſitatem attendere, non voluptatem. Si legem hanc orbis ſervaret, nemini deeſſet quod ſufficeret. Sed efficaciùs monens, imò & præcipiens Seneca: *Ceterùm*, inquit, *adeò mihi placet tentare animi tui firmitatem, ut ex præcepto magnorum virorum tibi quoque præcipiam: Interponas aliquot dies, quibus contentus minimo ac viliſſimo cibo, durâ atque horridâ veſte, dicas tibi: Hoc eſt, quod timebatur? Hoc ſecuti ſunt, qui omnibus menſibus paupertatem imitati, ne umquam expaveſcerent, quod ſæpe didiciſſent. Hoc triduo & quatriduo fer, interdum pluribus diebus, ut non luſus ſit, ſed experimentum. Tunc mihi crede, Lucili, exultabis dupondio † ſatur. Non eſt tamen, quare tu multum tibi facere videaris: facies enim quod multa millia ſervorum, quod multa millia pauperum faciunt. Illo nomine te ſuſpice, quòd facies nõ coactus. Tam facile tibi erit illud pati ſemper, quàm aliquando experiri. Habeamus aquã, habeamus polentã, & Iovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus.*

*Senec. epiſt. 18. mihi pag. 417. ante med.*
*† Duobus aſsibus, non totis duobus cruciferis.*
*Senec. epiſt. 110. mihi pag. 641.*

An non Seneca jejuniorum & famis encomiaſtes, qui ſuis auditoribus panem atrum ſobriámque hydriam commendans: *Quid magni eſt*, inquit, *mi Lucili, ſi oſtrea & boletos, ſi perdices & capos, ſi meleagridas & phaſianos, ſi teſtudines peltatas, ſi Caſtorum caudas, ſi urſorum ungulas, ſi cerebrum Iovis non deſideres? Tunc mihi rem magnam feceris, ſi panem nigrum ac ſordidum non rejeceris: ſi tibi ipſe perſuaſeris, herbas & olera non pecori ſolùm creſcere, ſed & homini; ſi denique parvo contentus eſſe didiceris.* Temperantiam, quam docuit, Annæus exercuit.

*Ælian. l. 4. Var. hiſt. c. 13. mihi pag. 153.*
*† Vel; cui pauca non ſufficiunt.*

Ælianus refert Epicurum Gargettium dicere ſolitum: Nihil ei ſatis eſt, cui parum non eſt ſatis †: Si mihi ſit offula, ſi ſit hydriola, vel ipſum cælum provocem contrà, vel ipſi Iovi inſultem. Hunc abſtinentiæ & inediæ amorem philoſophis ſola perſuaſit ratio. Nos fundamentis firmioribus nitimur & ſanctioribus. Et hactenus quidem diſſeruimus, jejunium valetudinis unicum & princeps eſſe præſidium, jejunium pharmacorum omnium eſſe pharmacum. Nos contrà objicimus; ſit ſanè pharmacum, ſed hem quàm amarum eſt & acerbum! Huic objectioni reſpondendum: Ajo igitur: *Iejunium ciborum omnium condimentum eſt.* Atque de hoc porrò loquemur.

A

§. I.

NEc rationum numero, nec teſtium hîc opus eſt; experientia mille teſtes, mille rationes. Exempli gratiâ: qui ſabbato cenam omittit, ei Dominico die cibus incredibiliter ſapit: ſi pridie lautiùs cenaſſet, voluptas illa neutiquam tam ſuavis accideret. Suave cibi condimentum eſt jejunium.

Illud tamen hîc obſervandum: Qui poſt ſeverius aut diuturnius jejunium in ventre lupum gerit, & ardenter eſurit, attendat ne præcipitet, ſed lentiùs edat, alioqui noxam incurret: quod jam ſuprà monuimus. Ideo qui mugientem ſentit ſtomachum, ſibi ipſe dicat: Heus lentè, ne propera, ne tuburcinare, ne præcipita; cibus tibi non rapietur: quæſo te, non raptim, non curſim edas, ſicut canis è Nilo bibit. Tantò tibi magis conducent cibi, tantóque ſapient meliùs, quan-
B tò comederis lentiùs. Heus lentè, lentè.

*Quæ cibi ſuavé reddant,*

Ita ſuaviter comeditur & ſalubriter. Salubrem efficit cibum, rectè illum mãdere ac commolere; ſuavem reddit, cenâ ſæpiùs abſtinere. Nam quod veteri verbo dicimus: Eſurienti ſapit mel. Nec mellita tantũm eſurientis palato grata ſunt, ſed & panis avenaceus cibum inhianti jucundior eſt, quàm homini jam ſaturo artolagana, panis ſaccarites, ſcitamenta mellita, nebulæ dulciariæ, tragemata ſelectiſſima. Fames & jejunium cibi condimentum ſuaviſſimum.

*Et quæ itẽ ſuavem.*
*Cibi voluptas in quo ſita ſit.*

Deinde philoſophiâ nos docet, omne quod recipitur, per modum recipientis recipi. Explico dictum. Ægroto proponuntur fercula delicata, optimè cocta, ſaporis eximii, primæ commendationis, cupediæ ſelectæ, vel ipſis ſuperis non faſtidiendæ; non tamen ſapiunt ægroto, nauſeat illas, rejicit, & vel libare oculis recuſat. Cur obſecro? Fauces, lingua, guſtatus ægri corruptus & ſucco peſſimo infectus eſt. Hinc nihil
C ſapit. En, minimè deliciæ, ſed modus recipientis deeſt; hinc oblatos cibos æger faſtidit & amovet. Contrà lignarius aut ferrarius faber, valens operarius, offam exoculatam, ejus confectum, avenam coctam, tucetum craſſum, artobamma ceraſinum, avidè nec ſine voluptate comedit, ſcutellas digito everrit, quem lambit, & pæne prærodit; hoc unum deeſſe cibo videtur, quòd pluribus ægrè ſufficiat. Voluptas igitur non tam in cibo & potu, quàm in eo faucium loco eſt, quem tranſit cibus & potus. Et hac ſolâ ratione verum cenſeo effatum: Quod ſapit, nutrit. Ceteroqui in mille aliis falſiſſimum eſt. Innumera ſunt, quæ ſapiant, ſed non ſolùm non nutriant, ſed etiam inquinent & perdant.

*Prov. c. 27. v. 7.*

Sed videte hîc ſapientiſſimam Dei providentiam, qui ſinceriorem edendi voluptatem poſuit in fame, abſtinentiâ, & jejunio. Hinc effatum Salomonis: *Anima ſaturata calcabit favum: & anima eſuriens amarum pro dulci ſumet.* Homo ſatur non ſolùm nauſeat, ſed & cal-
D cat delicias. Exemplo id declaremus.

§. II.

MEmini, cùm ante annos complures in patriciâ domo rideret Hymenæus nuptiali convivio, & omnia plauſibus exſonarent; hîc nemo domeſticorum non epulis fartus largiter vino maduit. Inter domeſticos ancillarum unà neſcio quid faſtidii oſtenderat, dentibus & manu feriantibus. Iuſſa ferculis appoſitis non parcere, hilariùs die geniali comeſſe; ſed illa excuſans negavit quidquam appetere. Interrogata quid demum edulii præ ceteris mallet, aut quid ſecundæ menſæ vellet? Hoc, inquit, mihi jucundum foret, menſam cum diſcis evertere. Ita prorſus anima ſaturata calcat favum, mel deſipit muri melle diſtento. Haud aliter nos, cùm ſaturi ſumus, loquimur. Eſt qui dicet: Vellem hunc cibum nunquam libaſſem, vellem parciùs bibiſſem, vellem ingeſta omnia viam per os

relegerent

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

relegerent. Ita favum calcamus, cum cibis oppleti ſumus. Ieiunium cibi condimentum optimum.

Voluptas igitur in ore, & in meliori diſpoſitione organorum, non in cibo, non in coci manu ſita eſt: non refert quale ſit opſonium vel quâ arte, quo cacabo coquatur, ſed quibus faucibus, quo palato recipiatur. Hinc laboratori panis ater, & olus inſulſum plus ſapit, quàm homini otioſo & deliciis farto gallina vel capus altilis lacte & ſimilâ ſaginatus. Quando enim non laborat, nec famem expectat. Quantò major edendi neceſſitas, tantò major voluptas. Hoc in ipſis etiam ſummatibus eſt videre.

Darius Rex Perſarum ab Alexandro Macedone prælio victus & fugatus, maximam è fugâ ſitim contraxerat. Hinc aquam turbidam in galeâ propinatam tantâ voluptate bibit, ut faſſus ſit, ſe omni vitâ ſuavius numquam bibiſſe. Quia ſcilicet, Cicerone teſte, numquam ſitiens bibit. *Cic. l. ult. Tuſc. quæſt.*

Rex Artaxerxes, ut Plutarchus memorat, cùm in præcipiti fugâ commeatum omnem perdidiſſet, panem hordeaceum, & aridas ficus pauculas appetentiâ tantâ comedit, ut diceret: Dii boni, cujuſmodi voluptatis huc uſque inexpertus fui? Quia ſcilicet numquam eſuriens comedit.

Rex Ptolemæus longis itineribus Ægyptum peragrans in pauperem caſam divertere coactus eſt. Hic panis niger & craſſus in cenæ caput appoſitus. Rex avidè comedens: Numquam, ait, ſuaviorem cibum ſumpſi. Fames ſcilicet & jejunium cibi condimentum eſt ſuaviſſimum.

Dioniſius Siciliæ tyrannus cocum ad ſe accerſens graviùs ſtomachari cœpit, quòd in pridianâ cenâ vix ulli miſſus ſapuiſſent, utique cocorum negligentiâ id accidiſſe. Cocus non ſine ſale ingenioſus: Si fas conjectare, inquit, optime regum, facilè addivinaverim, quid defuerit: aromata, ni fallor, deſiderata ſunt. Quid ais? inquit rex, num culina noſtra non ſatis habet aromatum? Sanè, ait cocus, non ſatis aromatum Spartanorum. Aromata Spartana ſunt, Labor & Fames. Nam Spartani non priùs accumbunt, quàm laboraverint & eſurire cœperint. Hinc illud Græcorum: Fames præter ſeipſam alia quoque reddit dulcia. Ergo Spartana Hiſpaniarum, Indiarum, & Sinarum aromata omnia longè præcellunt.

## §. III.

IN Sueviæ cœnobio notiſſimo Abbas ad ſe cocum in ſimili cauſſâ evocans: Heus, inquit, magiſter Iane, querelæ de te graves ſparguntur. Neque unus tantùm è meo famulitio affirmat cibos negligentiùs paratos menſæ inferri, cùm tamen in culinâ nec adipis, nec farinæ, nec aromatis ulla ſit penuria. Hic cocus ſimplici animoſitate: Admodum Reverende Domine, inquit, licétne loqui? Licet; loquere, ait Antiſtes. Mox Ianus magiſter: Quid multis hîc opus? ait, iſti queruli nebulones nimiùm ſunt ſaturi: eſuriant, & aliter ſentient. Nimirum ubi Spartana deſunt aromata, ibi omnis cibo deeſt gratia. Hinc illi opulenti & faſtidioſi homines, qui plerumque prandium cenámque adeunt velut jam pranſi & cenati, tot gulæ irritamentis egent: adſint neceſſe eſt oliva, capparis, ſinapi, embamma, oxygarum, intinctus, diverſi generis acetum; tot inſuper condimentis, tot juſculis, tot ſcitamentis, tot ſorbitiunculis eſt opus ad proritandum os, ut deníque famis aliquid ſentiat, quæ cibum per guttur artificio deceptum trajiciat.

*Turpiſſimum eſt ventris ſui menſuram non noſſe.* Ideo Diogenes: *Quàm multis*, inquit, *non indigeo!* Spartano aromate abundabat; famem in promptu habebat. Socrates ab eâdem re dives dicere ſolebat: *Optimum condimentum Fames.* Hinc illi gelida fontana in

A majoribus deliciis fuit quàm aliis vinum Thaſium aut Falernum; Socratici potûs condimentum fuerat ſitis. Hinc adagium natum Latinis: Fami, crudæ fabæ ſaccharum ſapiunt. Piper, cariophyllum, zingiber, nux odorata, unguentaria, cinnamum, melioris notæ ſunt aromata: ſuper omnia jejunium & abſtinentia.

Philoſophos veteres rectè hac de re ſenſiſſe Ammianus Marcellinus teſtis accedens: Conſtantinus Imperator, inquit, publicè numquam excreavit, numquam nares emunxit. Hic à Perſarum exercitu cæſus & in fugam actus, ab anu panis fragmen accepit, quod tragemata & bellaria omnia ſuperare viſum. In promptu cauſſa: numquam ſic eſuriit.

Theodoſius Imperator in venatum profectus, cùm famulitium Palatinum huc illuc ſparſum animadverteret, venatoriæ fatigationi ſe ſubducens, ad monachi tugurium divertit hoſpes ignotus. Monachus
B multa ſatagens ſui penoris promus condus, ut apponeret quidquid domus pretioſi conderet, panem aceto atque oleo maceratum menſæ intulit adjunctâ hydriâ. Eſuries & æſtus Cæſarem fecêre avidum. Comedit igitur bibítque largiùs. Fame ſitíque ſedatâ Theodoſius: Verè, inquit, affirmo tibi, Pater, numquam me in palatio meo tantâ cum voluptate ſumpſiſſe cibum. Condimentum cibi ſuaviſſimum, fames & jejunium.

Sed hujus aſſertionis teſtem ſiſto, cui nemo facilè contradixerit. Hebræus Pſaltes de penore cæleſti diſſerens: *Cibavit eos*, inquit, *ex adipe frumenti, & de petrâ melle ſaturavit eos.* Num mella ſtillarunt è rupe? Nuſquam id affirmat ſacra pagina. Nam è petrâ Moſes ſolam eduxit aquam; de ſcaturigine melleâ, mentio nulla. Aqua fluxit è ſilice, ſed quia fatigatis & ſiti confectis hæc aqua opportuniſſimè ſcatu-
C riit, ideo hæc merum mel, Falernum merum videbatur. Aromata Spartana nobiliſſima. Ieiunium cibi condimentum optimum: aqua recens in ſiti potus gratiſſimus. *Pſal. 80. v. 17.*

## §. IV.

NEc tantùm cibi, ſed & ſomni condimentum eſt jejunium. Id quidem non negaverim, homines naturæ calidioris, ſi dormiant incenati, plerumque pejùs dormire; his tamen jejunium non penitus fugiendum, ſed mitigatiùs aſſumendum: edant aliquid, bibant aliquid, ſed parte notabili minùs quàm aliàs ediſſent aut bibiſſent, & non tantùm ſomno non carebunt, ſed eum multò tranquilliorem habebunt. At verò illi, qui naturæ ſunt humidioris, nec viſcerum æſtu laborant, his jejunium ſomnos conciliabit quietiſſimos. Optime Baſilius: *Gravatus venter*, inquit, *non ſolum ad curſum, ſed etiam ad ſomnum ineptus eſt.* Nec mirum: In
D hominis adeò ſaturati ventre quatuor elementa digladiantur: hinc turbatior ſomnus aut inſomnia. Alii qui aut modicè cenant, aut, ſi copioſiùs, urgente fame cenant, ii ſuaviter dormiunt. Quod Eccleſiaſtes apertè aſſerens: *Dulcis eſt*, inquit, *ſomnus operanti, ſive parum, ſive multum comedat: ſaturitas autem divitis non ſinit eum dormire.* Quod confirmans Siracides: *Quàm ſufficiens eſt*, inquit, *homini erudito vinum exiguum! & in dormiendo non laborabis ab illo, & non ſenties dolorem. Somnus ſanitatis in homine parco, dormiet uſque in manè, & anima illius cum ipſo delectabitur.* Vti citharœdus, qui chelyn aut teſtudinem habet digitis ſuis belliſſimè reſpondentem, eâ plurimùm delectatur: contra ſi inſtrumentum illud muſicum tractatu ſit inhabile, ſi fides diſcordent, ſi collum gracile nimis, ſi venter nimis ſit craſſus, fidicen animum abjicit tractandi fides: ita ſpiritus in homine cùm corpus habitat ſobrium, leve, cibis non oppletum, agile, paratum, promptum-

*Ieiunium eſt ſomni condimētum.*

*Eccleſ. c. 5. v. 11.*

*Eccli. c. 31. v. 22. & 24.*

*Vinum à Græco contextu abeſt, hoc ſenſu: Quàm ſufficiens eſt homini ad vitam, etiam exiguū.*

Promptúmque, eo multùm oblectatur : at verò ſi nanciſcatur corpus intemperans, madidum, grave, eſcis infertum, flaccidum, ſomniculoſum, vehementer affligitur: hîc labor omnis moleſtus, cena non ſuavis, ſomnus non placidus eſt, hîc turbata omnia.

*Hoc plurimùm quotidiana pene docet experientia.*

Novi ego homines religioſos, quibus ſæpiſſimè cenula eſt, poſt quam non lavantur manus, qui ab horâ noctis nonâ uſque ad quartam matutinam, quâ ſurgendum, uno latere, uno eodémque tenore, ſopore numquam interrupto dormiunt ſuaviſſimè, & anima cum ipſis delectatur & jucundum eſt manè quærere, Num ſeptem horæ jam prætererierunt?

Itaque abſtinentia & jejunium non tantùm cibi, ſed etiam ſomni condimentum eſt optimum. Qui legitimam cibi potúſque voluptatem quærit, aromata Spartana ſemper in promptu habeat; Labor & Fames omnia condiunt. Eſuriamus nunc paullulum, ut ſatiemur æternùm.

## CAPVT VII.

### *Iejunium, temporis, opum, & boni nominis grande auctarium.*

*Gell. l. 2. Noct. Attic. 16.*

VERBVM erat vetus, ut Gellius teſtatur: Sæpe etiam eſt olitor valde opportuna locutus. Epicurus philoſophus apud nos ſequiores fame non optimè audit; ſenem ab horto nominamus, quòd in hortis ſæpius velut in ſcholâ docuerit: quidquid ſit, Epicuri ſcripta multum habent eruditionis ac ſapientiæ, & ad virtutem non languidè trahunt. Aſſiduus eſt Seneca in hujus Philoſophi dictis laudandis. Ad rem interrogatus Epicurus, quo artificio facilè quis diteſceret? In hunc modum reſpondit: Non ſi præſentibus adjeceris, ſed ſi uſum ac neceſſitatem tibi perſuaſam circumcideris; non enim augendæ ſunt facultates, ſed minuendæ cupiditates. Idem dicendum in Iejunii & Abſtinentiæ cauſsâ: Non addendum eſcæ, ſed detrahendum appetentiæ: os circumcidendum eſt. Parſimonia nobile vectigal, imperium in gulam, prædives victoria: qui os & appetentiam noverit ſubſtringere, paucis contentus vivet. Cur comedēdi libido ſtrenuè coërcenda ſit, cauſſas aliquot expoſuimus. Proxima diſſertatio monſtravit jejunium ciborum omnium, imò & ſomni, ſuaviſſimum eſſe condimentum. Progredimur, oſtenſuri jejunium non temporis ſolùm, rei omnium pretioſiſſimæ, ſed & opum ac famæ magnum eſſe auctarium. Qui abſtinentiam non horret, multum temporis lucratur, pecunias & nomen auget. Rectiſſimè ille, quem dixi, philoſophus ab horto dixit: Volenti diteſcere non ſunt augendæ opes, ſed minuendæ cupiditates. Detrahe menſæ, & addes tempori, facultatibus, famæ ac nomini. De his hoc capite loquemur.

*Stobæus ſer. 17.*

### §. I.

**Vita eſt vigilia.**

DIſſertationis fundamentum ſtatuo illud eruditorum pronuntiatum: Tantò longior eſt vita, quãtò brevior eſt ſomnus. Nam vita eſt vigilia. In excubiis ſtandum, dum vivitur. Somnus, imago & frater mortis. Si cernant oculi duos aliquos ſimul jacentes, mortuum & dormientem, vix quidquam diſcriminis obſervant. Qui dormit, poſt aliquantum temporis evigilabit: interim dum dormivit, non propriè vixit. Vita eſt vigilia. Quò igitur minùs dormitur, plùs vivitur: brevior ſomnus, longior vita. Sed ulteriùs. Menſa referta, cena plena, ſimpoſia larga ſomnum exigunt prolixum. A ſimili res patet. Quò luculentior culinæ focus, quò plura parantur fercula, eò copioſior fumus; ita quò liberaliùs eſtur ac bibitur, eò diutiùs dormitur; plus cibi, plus vaporum, plus ſomni. Ita paullatim plurimum vitæ demitur, quod Mortis fratri ſomno conceditur.

Atqui nihil in orbe pretioſius tempore. Aurum & gemmæ tempori collatæ, viles quiſquiliæ ſunt. Homo mihi benevolus ditare me poteſt, tempus perditũ reſtituere non poteſt, rapere poteſt. Theſaurus temporis theſaurorum omnium ſummus. Innumeri homines cetera non peſſimi, ſed ob tempus malè impenſum ad tribunal ſummum peſſimè ſtabunt, ii præſertim, qui tot horas, tot dies, tot hebdomades, tot menſes, tot etiam annos aut nihil agendo, aut malè agendo veluti per jocum combuſſerunt. Omnes etiam minimas temporis particulas ſollicitè colligamus, uti aurifices auri ſcobem, aut feminæ, quæ fila ducũt aurea. Si damnatorum alicui orbis terrarum aureus, & oceanus balſamo plenus donaretur, quid, putatis, hac divitiarum mole mercari cuperet? Vnicã dumtaxat horulam, quâ poſſet impetrare Dei gratiã. Et nos tot horas, tot dies ſtolidiſſimè comburimus. Tempus inæſtimabilis theſaurus. Cur ergo recuſemus cenæ aliquid aut ſomno demere, ut theſaurũ hunc temporis augeamus? Ita pleríque priſcorum Patrũ fecêre, ut vitam redderent longiorem, cenulam & ſomnũ voluerunt eſſe breviorem.

*Theſaurus temporis theſaurorũ omnium ſummus.*

B

Baſilius Magnus, Theologus & Orator diſertiſſimus, ut parciùs dormiret, ſemper humi dormiit, ſtratóque tam rigido ſomnum largiorem excluſit, & quia diem incredibili temperantiâ traduxit, noctes plurimas ſtudiis aut precibus pervigilavit. Ita & Antonius Magnus totas non rarò noctes inter colloquia cum Deo non ſine voluptate conſumpſit. Hoc ideo faciliùs potuit, quia ſemel tantùm de die, nec ante ſolis obitum, corpus pane, ſale & aquâ refecit. Quod de illo teſtatur Athanaſius. Sic alii quamplurimi egerunt.

C

Quâ ratione, obſecro, Auguſtinus, Hieronymus, alii, tot libros poſteritati conſecrare potuiſſent, niſi ſcriptioni & noctem impendere voluiſſent? ut autem hoc commodiùs poſſent, aut jejunare, aut parciſſimè cenare non refugerunt. Plenus venter non ſtudet libenter; feriatus ſomnum quærit. Novem Hieronymi Tomos manibus verſamus, iis quæ perierunt, non cenſis. Nil ſcribere potuiſſet Hieronymus, niſi jejunare ipſi & vigilare familiariſſimum, imò quotidianum fuiſſet. Hic ſacer ſcriptor id minimè diſſimulans: Ex toto orbe, inquit, huc venitur Bethlehemum. Ezechielem cœpi exponere; vix finiam. Nulla enim hora, nullum momentum eſt, ex quo non fratrum occurramus turbis. Omnes cum Hieronymo loqui, omnes illum videre cupiebant. Quomodo ergo tam multum ſcripſit, qui ab occupationibus aliis nil otii habuit? Fatetur ipſe noctem his lucubrationibus aſſignatam. Enimverò largiùs cenare, & ſomno liberaliùs indulgere, ſunt viciniſſima; alterum ab altero vix avelli poteſt. Malè autem vigilabit, peſſimè lucubrabit, qui lautiùs cenaverit.

D

Auguſtinus, quamvis in diſputationibus & colloquiis frequens, quamvis in concionibus ad populum habendis aſſiduus (uti olim Epiſcopi erant) Præſulis tamen officium ſic adminiſtravit, perinde ſi nihil ſcripſiſſet; nihilominus tam multa ſcripſit, perinde ſi hoc unum feciſſet. Hinc decem grandiores Tomos poſteris reliquit: plurima temporum injuriæ diripuerunt. Et quomodo tandem inter tot tantáſque occupationes tam multa litteris conſignare potuit? aut frugaliſſimè cenavit, aut cenâ penitus abſtinuit: hinc lucubrationes nocturnæ longiores, hinc eruditæ vigiliæ, hinc divinæ ad lampadem ſcriptiones: Quod dies negavit, nox dedit.

Gregorius Magnus, Antiſtes ſummus licèt continuis pæne morbis conflictaretur, plurima tamen ſcripſit, quia & abſtinentiſſimus fuit, & vigilantiſſimus. Conſuetus illi cibus legumina erãt, & quãvis pedibus



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

inſiſtere nequiret, nihilominus vigiliis, precibus, ſtudiis aſſiduè inhærebat.

Ita Thomas Aquinas Theologiæ Phœbus, non ultra quinquaginta annos propagavit vitam, & tamen ſeptemdecim Tomos conſcripſit, quos æternitati dicavit.

*Vixit Toſtatus anno 1440. ſub Eugenio IV. edita illius opera Venetiis anno 1507. Coloniæ 1612.*

Alphonſus Toſtatus Abulenſis Præſul quadraginta tantùm annos in vivis fuit, & tamen tredecim ingentia volumina ſcripſit, eruditionis varietate, ut illud elogii acceperit:

*Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.*

Hi tales viri non diu in menſâ perſedere, non diu in lecto hærere poterant, qui potuerunt tam multa ſcribere, tot occupationibus aliis ſatisfacere. Et conſideret quis labores iſtos, præcipuè Toſtati, dicet: Hi viri, ſi eorum lucubrationes & occupationes ceteras ſpectemus, nec comediſſe videntur, nec dormiſſe; adeò multum laborârunt. Ita breviore ſomno longiorem ſibi fecerunt vitam, & copioſiorem doctrinam.

Experientia loquitur, illud, quod quis die toto invenire nequit meditando, horis antelucanis, ſecundâ, tertiâ, quartâ matutinâ facilè indagari. Has autem horas minimè ſalutant ii, qui lautè cenant, liberaliter obbibunt, corpus cibo potúque farciunt. Horâ ſeptimâ matutinâ, vel octavâ, vel etiam nonâ,

*Perſius ſat. 3. v. 1. & 2.*

*—— cum clarum manè feneſtras*
*Intrat, & anguſtas extendit lumine rimas,*

plumeâ calidâque tumbâ etiamnum jacent ſepulti. Hîc cogitationes ſublimiores exulant, hîc eruditio & ſapientia plerumque domi non ſunt.

Nec illud hîc tacendum, quod reverâ offenſionis eſt & peſſimi exempli. Sunt multi, præſertim homines opulentiores, ſomni conſueti tam amantes, ut perſuaderi nequeant, vel in anno ſemel tantùm maturiùs lectum deſerere, & horâ ſextâ die Paraſceves concioni ſe ſiſtere. Prô dedecus! Hominem Chriſtianum in Chriſti patientis gratiam nec vel ſimplici ſolùm vice ſomno aliquid velle demere. Frigidiſſime Chriſtiane, quid ais? Totâ nocte illâ, & pluribus, pro te vigilavit Chriſtus, & tu non poſſis nec unâ quidem horulâ vigilare pro ipſo, & cum ipſo. Tot támque acerbi cruciatus Chriſti non tanti apud nos valeant, ut pauculis diebus minùs comeſſe, minùſque dormire ſuſtineamus.

Iam dixi: Lautior cena, lõgior ſomnus, brevior vita, ſunt cõjunctiſſima. Vivere vis prolixiùs? minùs dormi.

## § II.

*Abſtinentia augentur divitiæ.*

Sed non tantùm extendit vitam abſtinentia, ſed etiam auget pecuniam. Res teſtatiſſima. Quot patrimoniorũ gurgites devoratis ac comſumptis ædibus fecerunt proterviam! Homini guloſo nihil ſufficit: prædia & fundos abligurit, grandes reverâ bolos, & poſt tantam ingluviem magis eſurit, nec clamare deſinit, *Affer, affer*. Homo frugi & abſtinens pauciſſimis contentus, non difficulter invenit, quo ventri ſilentium perſuadeat. Abſtinentia ſaluberrimum parſimoniæ genus. Hominem guloſum aut potulentum rarò videas divitem. Salomon ejus rei certiſſimus: *Qui diligit epulas*, inquit, *in egeſtate erit. Qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur*. Hinc ab eodem monita: *Noli eſſe in conviviis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes ſymbola, conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio*. Somnolenti & potatores ad inopiam rediguntur; dormitatio veſtes laceras, comeſſatio crumenam vacuam in præmium offert. Nam quod in ærariolum eſſet recondendum, in ganeam effunditur. Abſtinentiæ vectigal ampliſſimum.

*Prov. c. 21. v. 17.*
*Prov. c. 23. v. 20. & 21.*

*Abſtinẽtia amplificat famam.*

Nec vitam ſolùm & pecuniam, ſed & famam honeſtiſſimis incrementis amplificat abſtinentia. Homo abſtinens & ſobrius etiam hoſti pretioſus. Homo patinis & poculis conſecratus, vilis eſt etiam amiciſſimis. Peſſimi nominis, nigerrimæ famæ eſt, dici de aliquo: Calicum traho eſt, duas dumtaxat Deas ex omni numero Deorum novit, quas & ſacrificiis colit, Eduliam & Potinam.

Monitus eſt Iulius Cæſar, quem Senatoriæ manus in curiâ confoderunt, ut ſibi à clandeſtinis inſidiatoribus caveret. Non timeo, ajebat, craſſos, rubicundos, obeſos, ſed pallidos & macilentos. Non erravit judicio. Tales fuerunt Brutus & Caſſius, qui Cæſarem occiderunt. Menſarum aſſecla, patinarum catillo vix umquam præclari aliquid aut ardui conabitur. Nam qui calicibus ſtudent epotandis, homines remiſſi & ſocordes ſunt; quid boni aut magni ab eis ſperes? Homo temperatus & jejunii cultor pecuniam & famâ auget.

Romanæ conditores hiſtoriæ, Livium, Salluſtium, Tacitum evolve, & quod aſſerimus, credes tot eruditis teſtibus. Nimirum Roma quamdiu Temperantiæ, Iejunii, Abſtinentiæ civilis leges ſervavit, omnium gentium victrix & domina fuit, alias poſt alias regiones & provincias in ſuam poteſtatem redegit, orbem terrarum expugnavit: dum Curii & Fabricii homines nobiliſſimi pulmenta, rapas, olera; non tantùm in menſam admiſerunt, ſed ea ipſi ſuâ etiam manu ſeverunt, res Romana præclariſſimè ſtetit; ubi comeſſationes & cenarum luxus graſſari cœpit, priora omnia dilabi, ruere, ac peſſum ire cœperunt. Nulla ſalus luxui: Intemperantia & gula regnorum everſio.

## §. III.

Pari planè modo religioſi cœtus propagati ſunt. Quamdiu in illis ſuus ſtetit abſtinentiæ honor, dum jejuniorum dies religioſè culti, quamdiu potationes & ſympoſia inter eos nulla, tamdiu ſalva omnia. Vbi verò eſuriales dies paullatim aut aboliti, aut imminuti, vel remiſſiùs obſervati: cùm caliculi in cenis, & extra illas obambulare, cùm madidum vitrum aut ſtannum ultrò citróque commeare, cùm propinationes & invitatiunculæ admitti, cùm Bromius reciprocus, cùm Veſperæ in tricliniis aut in latebris ad Lyæi aram cantari; mox meditationes, diſciplina, lectiones & precationes ſacræ aut omitti aut curari perfunctoriè cœperunt: ſucceſſit ſilentio loquacitas, labori otioſitas, vigiliis ſomnolentia, jejuniis temulentia, virtuti vitium. Ita Vara Vibiam ſequitur. Inſpice bene inſtituta cœnobia, & caſtas jejuniorũ leges, & illæſum Abſtinẽtiæ regnũ invenies: eſuritur & ſititur, cùm mos vetus aut ſacræ ſanctiones jubent. Habent etiamnum ſanctiſſimi viri religioſæ vitæ principes, diſcipulos abſtinẽtiæ obſervantiſſimos. Veneratio, horũ eſt imitatio.

Ad diſſertationis caput redeo. Quiſquis vult prolixiùs vivere, non detrectet parciùs dormire. Qui autem detrahere vult ſomno, priùs detrahat cibo. Hic rerum ordo eſt. O qualis vita, cujus pars potior edendo & dormiendo conſumitur! Hic meritò poſſim magnatum menſas in jus vocare, quæ prandium & cenam ſubinde ſociant, atque prandii tempus in cenæ horam extẽdunt. *Tales*, ait Auguſtinus, *ſunt omnes ebrioſi, quorum prandia uſque ad noctem ducuntur, quorum cenas Lucifer videt*. Memini ego ante annos quinquaginta prandiis intereſſe, quæ ad tertiam, quartam, aut etiam quintam veſpertinam producebantur damnabili exẽplo. Num adhuc his moribus vivitur, ut epilogus prandii fiat exordium cenæ? De illis conviviis & ſympoſiis nihil hîc dicam, quæ diem noctémque ſolidam, imò quæ biduum ſubinde triduúmve totum, potatione non interruptâ continuantur. Simile quid Seneca damnans: *Quibus nullum*, inquit, *intervallum, quo interquieſcerent, datum eſt, ſed prandia cenis uſque in lucem perductis ingeſta ſunt*. Numquid ad hanc pecudum

*Aug. to. 10. ſerm. 231. de tempore mihi pag. 376.*

*Senec. l. 4. Natur. quæſt. c. ultimo.*

dum ſaginam nati ſumus? Num Deus eò nos condidit, ut exuto homine boves induamus, qui dies noctéſque totas ad præſepe plenum vel pingue pratum os fatigemus?

Pſal. 4. v. 3.

*Filii hominum uſquequo gravi corde?* Cur tantum gulæ permittimus, ut in beſtias degeneremus? Rectè hîc priſcorum monitum inſtillo:

Iambi veteres.

*Oportet eſſe ut vivas, non vivere ut edas:*
*Da corpori quod ſufficit, non quod petit.*

Sen. epiſt. 8. initio.

Ad rem ſapientiſſimè monet Seneca: *Miſer eſt, qui ſtomachi ſui menſuram neſcit. Nec miſer ſolùm, ſed & inſanus eſt, qui ignorat, quem cibi potúſque ingerendi finem faciat. Quidquid editur & bibitur, non ad voluptatis, ſed ad rationis libram examinandum. Sciat unuſquiſque ſtomachi ſui menſuram; diſcat ab experientiâ, quantum alimoniæ in prandium, quantum in cenam ſufficiat, nec ultrà quidquam appetentiæ fallaciſſimæ permittat. Et ita veluti ad dimenſum edat & bibat. Hac ratione vitam, pecuniam & famam augebit.* Annæi verbis diſſertationem finio: *Hanc ergo ſanam & ſalubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Duriùs tractandum eſt, ne animo malè pareat.*

## CAPVT VIII.

### *Iejunium, piarum exercitationum omnium adjumentum maximum.*

APOLOGI veteris erudita narratio hæc eſt: Ficedula per ſilvas iter fecerat; hîc fortè conſpicata turdum labruſcæ inſidentem, amaras ac degeneres baccas vellicantem. Viſum eſt hoc ficedulæ inſulſum nimis & aridum jentaculum. Hortatur igitur fratrem, & ſuaviter compellans: Mi turde, inquit, quid invia teſqua incolis? quid arbores infecundas vellis? deſere infelix hoc fruticetum, & unà mecum, ſi placet, iter ingredere; in regionem longè opimiorem te ducam, ubi ficus & uvæ, ubi omne genus eduli abundè ſuppetat. Perſuaderi ſe turdus haud ægrè paſſus, labruſcæ valedicens, ducem ſuum hilariter ſecutus eſt. Pervenerunt demum tam ficedula quàm turdus in terram fecundis arboribus feliciſſimam. Inſulas fortunatas dixeris. Et videbatur locus promiſſa ſuperare: nec enim quidquam deerat, quod ad gulæ votum deſiderari poterat. Cùm autem turdus curioſior circumſpiceret, & hîc quidem aves non ignotas virgis viſcatis miſerè pendere, veluti in crucem ſuffixas, illic multò plures retium inſidiis captas, alias alibi è fallaci fune pendulas, quaſdam etiam fiſſo baculo implexas, aut decipulâ clauſas cerneret, mox alas fugæ parans: Vale, inquit, vale, ô mea ficedula, vale, vale cum tuis deliciis: ego labruſcas vellere, imò eſurire malo, quàm in tantis vitæ periculis menſam accumbere delicatiſſimam. Inſaniat qui vult, non ego: tecum epuletur, qui mortem amat. Mihi potior eſt tenuis victus, ſed tutus, quàm dapes plurimæ, exquiſitiſſimæ, quas Mors afflavit; Vale.

Quiſquis non pericula ſolùm, ſed mala præſentiſſima, quæ cibi potúſque intemperantem uſum comitantur, ſeriò conſiderat, cum Turdo liberrimè proclamat: Malo decies, malo centies, malo millies inediam & famem pati, quàm ſelectiſſimis dapibus me farcire, & valetudinē lædere, vitam præcidere, tempus perdere, opes minuere, incolumē famam corrumpere. Capite ſuperiori diximus: Qui cupit diu vivere, nō cupiat diu dormire. Vita eſt vigilia; vivere & nō vigilare, pars mortis eſt. Qui autem vult aliquid ſomno ſubducere, debet priùs cibo. Hinc noſtra cōcluſio: Iejunium temporis grande auctarium: nec ſolùm temporis, ſed & pecuniæ ac nominis, ut ſuprà demonſtratum eſt.

Nunc porrò eundum, & concluſioni priori hæc adjungenda: Abſtinentia & jejunium piorum exercitiorum omnium adjumentum maximum. Quicumque precibus, ſtudiis, meditationibus ſeriò vacare cogitat, jejunare diſcat. Sacris exercitiis omnibus jejunium & abſtinentia ſubſidii adfert plurimum. Quod jam diductiùs exponendum.

Abſtinētia piorū exercitiorū eſt adjumentum.

§. I.

SErenum cælum & ſerenum caput in eo conveniunt; ſi vapores terræ non aſcendant & aërem turbent, cælum ſerenatur, & lætam exporrigit frontem. Humana intelligentia in ſe ſpectata, ad meditandum, ad ſtudendum, ad orandum ſemper expedita eſt; quia verò corpus tam inæqualis eſt valetudinis, hinc modò plumbeum, grave atque oneratum, modò agile, exoneratum, & leve eſt. Eam ob rem ſpiritus corporis inquilinus plurimùm aut juvatur, aut impeditur bonâ malâve corporis conſtitutione. Notiſſi- B mum: Plenus venter non orat, non ſtudet, non laborat, non meditatur libenter. Homo ſatur & cibis fartus ad garriendum, fabulandum, ridendum, otiandum, dormiendū multò eſt aptior, quàm ad precandum, legendum, commentandum. O bone Deus, quàm non ſubtiles aut ſublimes cogitationes parit corpus eſcâ meróque æſtuans! Ab avi prædatoriâ id luculentum. Si falco bene paſtus eſt, ad aucupium ineptus eſt. Volatu ardeam non aſſequetur, non tranſcendet, non configet: gravatus eſt cibo, non eſurit, ideo nec prædam petit. Hoc tale aucupandi genus eſurialis dies præcedat neceſſe eſt, alioqui nihil agitur, & omnis perit venatica voluptas: ita prorſus homo, ſi abſtinentiam oderit & jejunium, in ſublime ſeſe non attollet, divina & cæleſtia cogitando non penetrabit, cum Deo & Angelis non ſæpè colloquetur; onus corporis eum detrahit, ſarcina eſcaria illum impedit: ſaturitas dejicit, quem in altum evexiſſet inedia. Eccleſia re- C ctiſſimè canit: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.*

Humana intelligentia ad meditandum eſt expedita; corpus verò non.

Vates Hebræus Moſes facturus audientiam in cælo, & cum ipſo Numine collocuturus, quadraginta eſuriales dies veluti pervigilium præmiſit, ita demum ad divinum colloquium admiſſus eſt. Elias ad ſecretum cum Deo ſermonem admittendus, dies itidem quadraginta jejunio & inediâ traduxit, perinde ſi præceptum illi fuiſſet è cælo: Elia, vide ut quàm maximè ſobrius & jejunus venias ſermocinaturus cum Deo. Ita Eliæ hilaria fuerunt hydriæ, falernum è fonte publico, & panis ſubcinericius. *Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb. Cúmque veniſſet illuc, manſit in ſpeluncâ. Et ecce ſermo Domini ad eum.* Sobrios amat famulos Deus; neque ſolis precibus, nec eleemoſynis ſolis, ſed & jejunis vult coli.

3. Reg. c. 19. v. 8. & 9.

D Sic Sara jugulatis ſeptem maritis ſepties vidua, ſuperius cubiculum ingreſſa, *tribus diebus & tribus noctibus non manducavit, neque bibit; ſed in oratione perſiſtens cum lacrymis deprecabatur Deum.* Et quod petiit, impetravit.

Tob. c. 3. v. 10. & 11.

Primus, non optimus rex Hebræorum Saul moturus arma in Philiſtæos, univerſæ plebi jejunium indixit: *Maledictus vir,* ait, *qui comederit panem uſque ad veſperum. Et non manducavit univerſus populus panem:* idque tam ſtrictâ religione, ut cùm in ſaltu publicum mel flueret, ſeſéque oculis tranſeuntium venderet, nemo auſus ſit vel digitum eo tinctum lambere.

1. Reg. c. 14. v. 24.

Ita David Saule filióque Ionathâ militiæ cæſis jejunavit cum omnibus, quos ſecum duxerat, militibus: *Et planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt uſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathan, & ſuper populum Domini.* Idem obſequii genus præſtiterunt mortuis Galaaditæ, & diebus ſeptem jejunia perſeverârunt.

2. Reg. c. 1. v. 12. 1. Paral. c. 10. v. 12.

Ita

Ita cùm Bethuliam urbem Holofernes dux Aſſyrius obſidione gravi premeret, expugnationis ſuâ deſtinatione certus; *clamavit omnis populus ad Dominum inſtantiâ magnâ, & humiliaverunt animas ſuas in jejuniis & orationibus, ipſi & mulieres eorum.* Opportuniſſimè ſemper precationi jungitur jejunium. Tantò enim efficaciùs orationi os panditur, quantò religioſiùs cibo clauditur.

Iudith c.4. v.8.

Hîc compendium ſummè profuturum paucis tradere non pigebit. Quiſquis à Deo quidpiam impetrandi certus petere inſtituit, is orationem non incomitatam in cælum mittat, ſed comites ei adjungat Eleemoſynam & Abſtinentiam. Impetrabit certiſſimò quod rogaverit, niſi forſan divinus honor abnuat, aut roganti expediat non audiri. Rem oculis ſubjicio, & ad actiones apto.

Oratio cũ eleemoſynâ & jejunio eſt certus à Deo impetrãdi modus.

## §. II.

CVm neceſſitas nos premit, pleniſſimis buccis ſoſpitatori Deo vota nuncupamus: ſed hæc ejus generis plerumque ſunt vota, quæ ſolum marſupium nonnihil vulnerent. Exempli gratiâ: Vovemus ſtatuam templo, aut ceream imaginem noſtræ ſtatuæ æquilibrem, aut frontale vel veſtem ſacrificam aræ, aut certi numeri ſacrificia, aut peregrinationem ſacram, quam ſæpius dixeris recreationem. Atque hæc talia promittimus exoluturos, ſi voti compotes fiamus. Ita in votis concipiendis ferè ſolam concutimus crumenam. Mi Chriſtiane, teipſum offer Numini, ſacrifica teipſum hac formulâ; voces præibo.

Domine IESV, ego in anguſtiis deprehenſus tribus minimùm diebus, etſi non continuis, jejunabo. Sex aut ſeptem diebus pſalmos pœnitentiæ ſcriptos recitabo. In eleemoſynam novem Philippeos, aut florenos, aut ſaltem octodecim ſeſtertios dabo. Hæc vota hominem ipſum immolant, & divinæ voluntâti ſubjiciunt. Nimirum Deus ſacrificium integrum, ſeu holocauſtum, exigit; quod reverâ hîc fit, cùm orationi jungimus eleemoſynam & jejunium. Oratio ſubmiſſa cor Deo ſubjicit; Eleemoſyna facultates & *pecuniam*; Iejunium *corpus*. Ita totus homo conditori ſuo immolatur, cùm animus & corpus, & fortunæ, bonáque illius exteriora in hoſtiam ponuntur.

Oratio cũ eleemoſynâ & jejunio eſt ſacrificium integrum.

Hæ preces ſunt armatæ, hæ Deum expugnant, quæ animum orando, corpus jejunando, divitias erogando mactant. Ita vovendum, ita poſtulandum: repulſam non feret, qui triplicem hanc Rhetoricæ partem calluerit. Quod Chyſoſtomus expendens: *Oratio*, inquit, *ſine jejunio, miles ſine gladio.* Quid loculos emungis? quid ære plectis crumenam, ſi caro petulans & à jejuniis eximia in vetitas ruit libidines? *Bona eſt oratio, ſed cum jejunio & eleemoſynâ.* Tres ſunt Rhetoricæ partes, ut dixi. Vis perſuadere dictione? nullam neglige.

Chryſoſt. hom. 6.

Tob. c.12. v.8.

Quotieſcumque Deus tam in lege priſcâ quàm novâ res maximas rogandus erat, orationi ſemper additum jejunium. Quod è ſacris paginis luculentiſſimum fiet. Cùm Iſraëlitæ in Beniamitas pugnarent, cõſultus eſt Deus, quis populi ducem ageret? Divinâ voce delectus eſt Iudas. Oraculo divino confirmati in hoſtem animosè iverunt. Nihilominus poſt exordium tam auſpicatum, viginti duo millia Iſraëlitarum in prælio ſunt cęſi. Sed viſum eſt inſtaurare prælium majoribus copiis, animis erectioribus. Et ut principium à Deo ducerent, priùs ad orationis domum aſcenderunt, orârunt & fleverunt coram Domino uſque ad noctem. Atque ut nihil inconſultò agerent interrogârunt denuò, num repetenda ſint arma in Beniamitas. Reſpondit oraculum: Ite, aſcendite, certate. Hoc juſſu erectiſſimus Iſraëlis populus in aciem progreſſus eſt. Verùm Beniamitæ iterum tantâ in illos cæde bacchati ſunt, ut decem & octo millia bellicoſorum militum mactaverint. Tertiùm igitur ad orationis domum conveniunt, neque jam precibus tantùm & lacrymis agunt, ſed & jejuniis, *Iejunaveruntque die illo uſque ad veſperam.* O viri, hoc initio factum oportuit. Bona eſt oratio, non ingratæ ſunt lacrymæ, ſed jejuniis conjunctæ. Ad conflictûs principium oraſtis: rectè. Orationem lacrymis etiam commendaſtis: optimè. Sed jejunium omiſiſtis: hoc malè. Deum ergo conſuluerunt denuò, quid faciendum, num arma ponenda, num reſumenda, & pugnandum? Et reſpondit Dominus: *Aſcendite, cras enim tradam eos in manus veſtras.* Aſcenderunt, viderunt, vicerunt. Nam hoſtium eo die viginti quinque millia & centum ceciderunt.

Orationi additũ eſt jejunium tã in priſcâ lege quàm novâ.

Iudic. c.20. v.26.

Ibid. 28. & 35.

Tanti fuit orationi & lacrymis junxiſſe jejunium. Videte, obſecro, ô Iſraelitæ, ô Chriſtiani, quantam vim precibus & fletibus addat Abſtinentia. Holocauſtum vult Deus, & totius hominis oblationem, hoc eſt, animi, corporis, & facultatum victimam. *Miles ſine gladio, oratio ſine jejunio.* Sed dicta confirmo.

## §. III.

MOabitæ & Ammonitæ grandes exercitus contra Regem Ioſaphat duxerunt. Rex autem, ut Regum chronicon teſtatur, *totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium univerſo Iuda.* Victoriam Rex Ioſaphat obtinuit incredibilem, & quidem ſine ſanguine ſuorum. Hoſtiles copiæ in ſemetipſas verſæ mutuis ſeſe vulneribus conciderunt, & omnis latè regio cadaveribus oppleta eſt, nec ſuperfuit quiſquam, qui necem evaderet. Spolia nec triduo quidem auferri potuerunt ob prædæ magnitudinem. Oratio abſtinentiæ & jejunio juncta expugnat & vincit. *Miles ſine gladio, oratio ſine jejunio.*

2. Paral. c. 20. v.3.

Ibid. v.25.

Sic Eſther regina populi ſui proximum interitum animadvertens, precibus eum & jejuniis ſervavit. Iudæi omnes necandi erant. Decretum Regis in omnium ipſorum jugulum jam ſcriptum, jam promulgatum, jam affixum erat. Gladius & laqueus citabat omnes. Hîc Eſther Mardochæum cognatum cohortata, ut extremis malis mederetur: *Vade*, inquit, *& congrega omnes Iudæos, quos in Suſan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis pariter jejunabo.* Mox Hebræi omnes revixerunt, decretum regium eſt antiquatum, gladius & laqueus Hebræis imminens adverſarios necavit; inverſa ſunt omnia. O Iudæi Eſtheri veſtræ gratias agite, quæ vobis veluti concionatrix non preces ſolùm, ſed & triduanum jejunium indixit, & deſtinatiſſimæ neci eripuit. Nec alios tantùm compulit ad jejunium optima regina, ſed & ipſa cum gynæceo ſuo viriliter jejunavit. His nempe armis, precibus, eleemoſynâ, & jejunio expugnatur ſummus Monarcha: cedit Deus trigeminæ huic catapultæ. Veriſſimum Chryſoſtomi: *Miles ſine gladio, oratio ſine jejunio.* Idem in Republicâ Chriſtianâ eſt cernere.

Eſther c.4. v.16.

Carolus Magnus Imperator, Reginone teſte, cùm adverſus Avares moveret ad flumen Aniſum, toti exercitui triduanum jejunium promulgari juſſit, & feliciter pugnavit. Sic Otho Imperator cum Vngaris conflicturus, teſte Witichindo totis caſtris jejunium præcepit. Sic & Zeno Imperator, ut Nicephorus memorat, eligendo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano quadraginta dierum jejunium edixit. Veterem hiſtoriam omnem recenſe, & paſſim deprehendes ſemper junctum precibus jejunium, cùm aut gravior neceſſitas urgeret, aut quidpiam magni momenti à Deo petendum. Oratio & abſtinentia geminæ ſunt ſorores ad cęli portam notiſſimæ, ingrediuntur liberè, nec ſupplicant cuſtodibus. Ita clariſſimè Iuditha vidua: *Scitote*, inquit, *quoniam exaudiet Dominus preces veſtras*,

Regino l. 2. hiſt.

VVitich. l. 3 hiſt.

Nicephor. l.6 Eccleſ. hiſt. c.18.

Iudith c.4. v.12.

*veſtras, ſi manentes permanſeritis in jejuniis & orationibus, in conſpectu Domini.* Iejunium piorum exercitiorum omnium adjumentum maximum, præcipuè orationis. Oranti & cum eleemoſynarum largitate jejunanti panditur cælum, gratulantur Superi, annuit Deus.

§. IV.

*Petr. Chryſol. ſer. 41. 42. 43. mihi pag. 110. & ſeqq.*

Iejunium ſine miſericordiæ incenſo ad divinum conſpectū non aſcendit.

PEtrus Chryſologus de Abſtinentiæ ac Miſericordiæ mixturâ tam eruditè ac piè, quàm ſapienter & venuſtè: *Abſtinentia,* inquit, *eſt hominis prima medicina, ſed ad plenam curam miſericordiæ requirit expenſas. Iejunium ſingulari cultu evellit vitia, eradicat crimina, ad fructus bonos agrum parat & mentis & corporis. Iejunium eſt ſanctitatis hoſtia, ſacrificium caſtitatis, ſed ſine Miſericordiæ incenſo non poteſt ad divinum conſpectum in odorem ſuavitatis aſcendere. Iejunium virtutum navis portat quæſtum vitæ; lucrum ſalutis advectat. Iejunium nobis aperit cælum, jejunium nos intromittit ad Deum; ſed niſi tunc affuerit nobis Miſericordia noſtrarum patrona cauſſarum, qui de innocentiâ conſtare non poſſumus, de veniâ ſecuri non erimus.*

Vt autem probè noverimus ab Abſtinentiâ & Miſericordiâ orationem ſeparari non poſſe, ſumméque neceſſarium eſſe jejunii, precum, & eleemoſynarum nexum ac conſenſum, idem Chryſologus hæc addens:

Oratione, jejunio, miſericordiâ ſtat fides, cōſtat devotio & manet virtus.

*Tria ſunt,* inquit, *tria, fratres, per quæ ſtat fides, conſtat devotio, manet virtus: Oratio, Iejunium, Miſericordia. Quod oratio pulſat, impetrat jejunium, miſericordia accipit. Oratio, miſericordia, jejunium, ſunt hæc tria unum, dant hæc ſibi invicem vitam. Eſt namque orationis anima jejunium: jejunii vita miſericordia eſt. Hæc nemo reſcindat: neſciunt ſeparari. Horum qui unum habet, & ſimul iſta non habet, nihil habet. Ergo qui orat, jejunet; qui jejunat, miſereatur: audiat petentem, qui petens optat audiri: auditum Dei aperit ſibi, qui ſuum ſupplicanti non claudit auditum. Iejunium jejunator intelligat, eſurientem ſentiat, qui vult Deum ſentire, quod eſurit: miſereatur qui miſericordiam ſperat: pietatem qui quærit, faciat: qui præſtari ſibi vult, præſtet. Improbus petitor eſt, qui, quod aliis negat, ſibi poſtulat. Homo, eſto tibi miſericordiæ forma: ſic quomodo vis, quantum vis, quàm citò vis, miſericordiam tibi fieri, tam citò alii, tantum, taliter, ipſe miſerere. Ergo oratio, miſericordia, jejunium, ſint unum patrocinium pro nobis ad Deum, pro nobis hæc advocatio ſint una, una hæc pro nobis oratio ſit triformis. Hæc ſunt, fratres, hæc ſunt, quæ tenent cæli arcem, quæ ſecretum Dei judicis pulſant, quæ ante tribunal Chriſti cauſſas humani generis exequuntur, quæ injuſtorum petunt indulgentiam, reorum veniam promerentur. Hæc cui in cæleſtibus aſſiſtunt, ipſe non ſubſiſtit in terris: hæc cùm teneant in cæleſtibus principatum, in terris rerum ſummam moderantur; hæc regunt proſpera, hæc adverſa propellunt, vitia extinguunt iſta, virtutes iſta ſuccendunt, hæc reddunt caſta corpora, corda pura; hæc pacem membris, mentibus dant quietem, humanos iſta ſenſus, ſcholam faciunt diſciplinæ: per hæc in templum Dei pectora humana conſurgunt, hæc hominem præſtant Angelum, homini deitatis deferunt hæc honorem. Hinc eſt, quòd ſit horum ſuffragio Moſes Deus, & ad triumphos ſuos militare ſibi omnia mandat elementa: jubet mare diſcedere, durari undas, profunda ſiccari, cælum pluere, dat frumenta, ventos ſpargere cogit carnes, noctem ſplendore ſolis illuſtrat, ſolem nubis temperat velamento, petram percutit, ut de recenti vulnere frigida ſitientibus det fluenta, primus dat terris legem cæli, ſcribit vitæ normam, figit terminos diſciplinæ. Per hæc Elias neſcit mortem, relinquit terras, cælos intrat, commoratur Angelis, convivit Deo, & terrenus hoſpes ſupernas poſſidet manſiones. Per iſta Ioannes fit Angelus in carne, cæleſtis in terrâ, & auditu, viſu, tactu, totam ſolus capit, tenet, complectitur Trinitatem. Et nos fratres ſi volumus Moſi gloriæ, Eliæ vitæ, Ioannis virtutibus, omnium Sanctorum meritis applicari, inſiſtamus orationi, vacemus jejunio, miſericordiæ ſerviamus: qui in his vixerit, qui per iſta fuerit communitus, jacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos,*

A *arma mortis, Chriſtianus armiger, bellator Dominicus non timebit. Mala tempora facit nobis contemptus Dei, temporum curſus non facit. Quod ergo contemptu perdidimus, jejuniis conquiramus, animas noſtras jejuniis immolemus, quia nihil eſt, quod Deo præſtantius offerre poſſimus, probante Prophetâ, cùm dicit:* Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. *Homo offer Deo animam tuam, & offer oblationem jejunii, ut ſit pura hoſtia, ſacrificium ſanctum, vivens victima, quæ & tibi maneat, & data ſit Deo. Hoc qui non dederit Deo, excuſatus non erit, quia ſe daturus, non poteſt ſe non habere. Sed accepta ut ſint iſta, miſericordia ſubſequatur.*

Oratione, jejunio, & eleemoſynâ Deo nihil offertur præſtantius.

*Pſal. 50. v. 19.*

## CAPVT IX.

### *Iejunium ſatisfactio pro peccatis, expiationis ſacrificium.*

B PRVDENTIVS poëta Chriſtianus ævo veteri ſenarios ſatis teretes de abſtinentium jejuniis ſcripſit. Metri ſpecimen damus:

*Adeſto caſtis, Chriſte, parſimoniis,*
*Iejuniorum dum litamus victimam:*
*Nil hoc profectò purius myſterio,*
*Quo fibra cordis expiatur lividi,*
*Intemperata quo domantur viſcera,*
*Hinc ſubjugatur luxus & turpis gula,*
*Vini atque ſomni degener ſocordia,*
*Libido ſordens, inverecundus lepos,*
*Variæque peſtes languidorum ſenſuum*
*Parcam ſubactæ diſciplinam ſentiunt.*
*Frenentur ergo corporum cupidines.*

Iejunium noxas delet.

Dictorum rationem addens: Sicut aquâ præfocatur ignis, inquit, & ſicut ad ſolem nix liqueſcit, ſic noxas delet jejunium, *ſi blanda ſemper miſceatur largitas. Bona eſt* C *oratio cum jejunio, & eleemoſynâ.* Ille profectò lymphas apportat extinguendo delictorum incendio, qui animum oratione, corpus jejunio, crumenam eleemoſynâ purgat. Quantum piis exercitiis omnibus à jejunio accedat adjumenti, ſuperiori diſſertatione diximus. Meminiſſe hîc oportet, nos etiamnum in parte primâ verſari, & cauſſas, cur jejunandum ſit, exponere. Prioribus allatis hanc quoque jungimus, *Iejunium ſatisfactio pro peccatis:* quod paullò uberiùs explicandum.

*Tob. c. 12. v. 8.*

§. I.

TArſenſis Paulus ſuos ad tolerandum animans: *Si ſuſtinebimus,* inquit, *& conregnabimus.* Hîc forſan Feſtus aliquis proconſul vociferetur: *Quid dicis, Paule? inſanis; multæ te litteræ ad inſaniā convertunt.* Num Chriſti cruciatibus addendi ſunt noſtri? Num opus redemptionis noſtræ non multò quàm pleniſſimum fuit? Num Chriſtus non ſatis tormentorum pertulit? Quid D dicis, Paule? inſanis. *Non inſanio, optime Feſte, ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor. Si ſuſtinebimus & conregnabimus.* Et luculentiùs ſeipſum explicans Paulus: *Adimpleo,* inquit, *ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne meâ.* Chriſtus Servatoris munus multò quàm perfectiſſimè obivit; mors Chriſti, gazophylacium infiniti pretii & inexhauſtum eſt. Nihilominus vult Servator amantiſſimus, ut ad gazophylacium iſtud mendicemus, & quod inde nobis liberaliſſimè donatur, in uſum noſtrum trahamus. Perinde ſi quis amicorum ſuorum non infimo trecentos donet philippeos, eâ tamen lege, ut eos ipſemet domum referat. Sed gravor, ait amicus, da ſervum, qui portet. Cur nolim hoc, inquit iſte, certæ mihi cauſſæ ſunt. Si argenteum hoc donum tuis ferre manibus detrectes, erit qui ferat promptiſſimus. Ita Chriſtus tot dolorum patientiſſimus donat, † *ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur,* ſi adimplemus ea, quæ

*2. Tim. c. 2. v. 12.*
*Actor. c. 26. v. 24.*
*Ibid. v. 25.*
*2. Tim. c. 2. v. 12.*
*Coloſſ. c. 1. v. 24.*

*Æterno Deus decreto ſtatuit, Chriſtus [...] in ſe tantùm, ſed etiam in ſuis mēbris ſuque corpore Eccleſiâ, pateretur, dum nimirum Chri-ſtiani patiendo Chriſti patientis ac crucifixi ſimiles ac participes fiunt.*

† *Rom. cap. 8. v. 17.*

quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne noſtrâ. Copioſa Chriſti Domini redemptio, copioſiſſima, ſed iis qui redimi volunt, iis qui compati non recuſant; qui cupiunt ſanari.

Appoſitè Bonaventura: *Deus*, inquit, *ſpiritum curat, ut medicus ægrum corpus*. Plerumque prima medici præceptio eſt. Abſtineat æger vino, omni genere pomi, his & his cibis. Altera: Evacuetur corpus, ſubtrahatur ſanguis. Ita Chriſtus principio; *Vade*, inquit, *& jam ampliùs noli peccare*. Ingemiſce ac dole de præteritis, abſtine commiſſis. Sequitur venæ ſectio: Peccata tua eleemoſynis redime; fluat aurea vel argentea marſupii vena. Pecuniam alienam invaſiſti? reſtitue. Famam alienam rapuiſti? reſtitue. Alia forſan nocumenta intuliſti? reſtitue, & compenſa. Quia igitur peccatis liberaliter condonatis, ut omnes Theologi ſentiunt, pœnæ aliquid luendum reſtat, abſtinentiâ, jejuniis, & ſimilibus piamentis hæ pœnæ commodiſſimè perſolvuntur. E ſacris Bibliis id clarum. Adulterii & homicidii peccatum liberaliſſimè condonatum eſt regi Hebræo Davidi. Nathan pronuntiat: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, (venia delicto facta eſt) *verumtamen filius, qui natus eſt tibi, morte morietur*. Quid hoc ais, Nathan? ſi veniam habet noxa, cur dependenda eſt pœna noxæ debita? Chriſtiani prophetæ Theologi rem ita diſcernunt: Peccati culpam condonat Deus, non temporariam omnem pœnâ, ſed ſolùm æternam. Quemadmodum & ipſe rex David Abſaloni filio fraternam cædem condonans: *Revertatur*, inquit, *in domum ſuam, ſed faciem meam non videat*. Ita dimiſit culpam, non omnem omnino pœnam. Duo hæc *Culpa & Pœna* in peccatis omnibus, velut duo vermiculi in pomo deliteſcunt. Condonatâ culpâ non pariter condonatur pœna. Hinc ſatisfactio à Deo de omni etiam levi noxâ exigitur: nam & capillus ſuam umbram habet. Ad ſatisfactionem iſtam & pœnam expendendam res opportuniſſima prorſus Abſtinentia & Iejunium. Huic vulneri hoc malagma convenientiſſimum, huic veneno hoc antidotum adverſatur probatiſſimum.

*Joan. c. 8. v. 11.*

*2. Reg. c. 12. v. 13. & 14.*

*2. Reg. c. 14. v. 24.*

Culpa & pœna in omnibus peccatis deliteſcũt.

Peccata quidem & omnis generis noxæ, ſeu noxarum pœnæ precibus & eleemoſynis avertuntur, maximè tamen jejunio. Quod Aquinas Theologus affirmatè docens: *Cùm jejunium*, inquit, *ad culparum deletionem & cohibitionem, & ad mentis in ſpiritualia elevationem valeat*, &c. Iejunium præcipuè voluntarium nullâ lege imperatum pro delictis ſatisfacit. Hinc non inerudité dicitur; Voluntaria vel unius veſperæ inedia plus noxarum tollit, quàm pœnæ graviſſimæ in orbe altero. Hebræus Pſaltes ſeipſum hoc nomine ſolatus: *Voluntariè*, inquit, *ſacrificabo tibi*; non ignarus victimas haſce voluntarias tibi eſſe gratiſſimas.

*S. Tho. 2. 2. q. 147. art. 3. in concluſ.*

*Pſal. 53. v. 8.*

Fit nonnumquam, ut homo minimè frugi ſic ære alieno ſe involvat, ut demum ſolvendo non ſit: adſunt creditores, & involant bona, ſupellectilem foro ſcrutario vendendam ejiciunt, ſi quid ceterorum eſt, partiuntur, & (veteri verbo) *ſecant*. Aliquid accipiunt ſinguli, ſed exiguum, neutiquam ſatisfit ſingulis. Quòd ſi debitor ad rem fuiſſet attentior, potuiſſet ipſe paullatim & quotidianâ, tametſi valde modicâ, ſolutione ſuis ſeſe nominibus ſuaviter expedire. Noluit, neglexit: habeat damnum, quod amavit.

Dum in orbe hoc degimus, nova quotidie nomina contrahimus, niſi ea novis quotidie induſtriis expungamus, in labyrinthum horribilem incidemus, opprimemur ære alieno, denique ſolvendo non erimus. Si modò in rem noſtram velimus ſapere, debita multa jejuniis paucis valemus ſolvere. At nos hæremus, differimus, trepidamus, denique nolumus. Creditor ſuo tempore nil diſſimulabit, & vel obolum, vel noviſſimum quadrantem exiget.

Cùm ergo Deum tripliciter offendamus: Aut honoris ambitu, elatione, faſtu, ſuperbiâ; aut pecuniæ amore, avaritiâ, profuſione, injuſtitiâ; aut carnis cupiditate, intemperantiâ, libidine, luxuriâ: Primo quidē ſuperbiæ malo medetur oratio: Alteri, pia liberalitas & eleemoſynæ: Tertio, aptiſſima medicina eſt jejunium: quod duobus prioribus hoc nomine præſtantius eſt, quia *orare* non raró voluptatis aliquid habet, *dare ſtipem* ſolos loculos aliquantulum emaciat; at verò *jejunare* corpus ipſum exercet & affligit, vix quidquam ſuavitatis habet: hinc orare & eleemoſynas erogare malumus quàm inediam tolerare. Sed certè pharmacum præ ceteris omnibus convenientiſſimum eſt jejunium, quod noxas eluit & abolet feliciſſimè, cum valetudinis grandi emolumento. At nos homines delicati & cuticulæ nimiùm amantes auſteriuſculum hoc remedium ſanè pueriliter horremus.

Tribus modis Deus offenditur;

Iejuniū eſt præſtãtius oratione & eleemoſynâ medicamentum.

§. II.

QVòd ſi Deus homini chariſſimo faciat eligendi poteſtatem, malitne die uno cibis abſtinere, aut unico pariter die in rogo inter ambientem ignem ardere: an non homo iſte ſublatis cælo manibus clamet: Mi amantiſſime Domine, vel millies iterumque millies malo jejunare, quàm horam unicam jacere in flammis. Atqui ſuperiùs diximus, unico jejunio præſertim voluntario, plus pœnarum tolli, quàm pluribus diebus *inferno temporali*. Temporalem voco infernum è pluribus miſeriis & calamitatibus accenſum & conflatum velut balneum.

Plus pœnarũ unico jejunio tollitur, quam pluribus diebus inferno temporali.

Patibulum nonnumquam aut ſupplicii locus ibi ſtatuitur, ubi homicidium, deprædatio, latrocinium eſt commiſſum. Ita Deus cum ſatanâ egit. Immortalitatem ille nobis abſtulit ad arborem: eadem illi denuò extorta & nobis reſtituta eſt ad arborem. Sic Pharao, qui Hebræos infantes aquis merſos ſuffocârat, & ipſe cū omni exercitu merſus aquis ſuffocatus eſt. Sic Aman Mardochæo crucem præaltam erexerat, in eamdem ipſemet evectus ſublime hoc ædificium ſeipſo decoravit. Ita prorſus, cùm plurima & graviſſima peccata carnis nequitia committat, æquiſſimum omnino eſt, ut quod caro peccat, caro luat. Credibile eſt nullo peccati genere tam variè, tam frequenter ac numerosè delinqui, atque carnis effreni temeritate, præcipuè gulâ & libidine; congruum igitur & neceſſarium eſt, ut, quod caro intemperantiâ & laſciuiâ patrat, id abſtinentiâ & jejuniis expiet. Sit pœnitentiæ modus ad delicti rationem. Si caro deliravit, plectatúr potiùs caro, quàm ſpiritus aut crumena.

In hanc ſententiam eruditè Gregorius: *Qui à paradiſi gaudiis*, inquit, *per cibum cecidimus, laborare debemus, in quantum poſſumus ut per abſtinentiam reſurgamus. Caro læta traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam*. Poſſemus jejuniis jam superſedere, ſi jejunare voluiſſemus in paradiſo. Eam ob cauſſam Gregorius Nazianzenus: Iejunamus, inquit, quia non jejunavimus. Quod Ambroſius confirmans: *Iejunium*, inquit, *reconciliationis ſacrificium eſt*.

*Greg. ho. 16. in Evang.*

*Naz. Orat. in Paſch.*

*Ambr. l. de Eliâ & jejunio c. 9.*

In civibus Ninivitis res clariſſima. Ninive urbs ingens, ampliſſima, trium dierum iter complexa, ſi urbem & ſuburbia commenſi ad extremum ab extremo lineam ducamus. Vrbs ergo iſta in directo milliarium ſeu leucarum erat viginti. Nam, ut Ptolemeus & Strabo aſſerunt, major & Babylone, & civitatibus ceteris omnibus fuit. Nihil hîc fidem ſuperat, ſi muros urbis Romæ, quos Aurelianus ampliavit, metiamur. Quinſái quoque urbs Tartarorum tridui continet iter, & amplius. Hebræus Propheta Ionas Ninivem ingreſſus obviam plebem terrere cœpit his vocibus: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, ni ſubverſionem iſtam prævertat pœnitentia. *Et crediderunt viri Ninivitæ, & prædicaverunt jejunium*. Cenſet Chryſoſtomus rigidum hoc jejunium tribus diebus ac noctibus duraſſe,

Ninive urbs trium dierũ iter complexa eſt;

Sic & Quiſnái urbs Tartarorum.

*Ionæ c. 3. v. 4. & 5.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

fuiſſe; ita quidem ut toto hoc tempore nec homines nec pecudes quidquam cibi aut potûs libârint, adeò ut etiam infantibus in cunis hoc triduo fuerit lacte abſtinendum. Triduanâ inediâ toleratâ jejunium quadragintadiale cœpit, Chryſoſtomi ſenſu, quo quidem tempore veſperi dumtaxat panis aliquid cum aquâ in alimentum admittebatur vitæ ſolùm ſuſtentandæ. *Et vidit Deus opera eorum, & miſertus eſt ſuper malitiâ, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Ninivitæ libidinum & gulæ flagitiis, aliiſque magnæ varietatis ſceleribus Deum graviſſimè læſerunt, & ad iram juſtiſſimam provocârunt: Gladium Deus arripuit puniturus ſcelera; at ubi civitas omnis tam ſeriò jejunare cœpit, gladium Deus vaginæ reddidit. Tanti eſt pœnitentia jejuniis ſtabilita. Ionas ipſe mirabatur, tot tantáque flagitia tam citò condonari. Iejunium orator potentiſſimus, quidquid vult perſuadet; jejunium, certè veniam tam celerem dándam Deo perſuaſit.

§. III.

Chriſtiani in Palæſtinâ jejunio incredibilem obtinuerũt victoriam.

NArrat ſcriptor illuſtriſſimus Cæſar Baronius, anno à Virginis partu milleſimo centeſimo viceſimo quarto, Chriſtianos in Palæſtinâ cinctos à Saracenis, Ninivitarum exemplo jejunium nemini detrectandum indixiſſe, adeò ut infantibus etiam & pecoribus alimonia fuerit ſubtracta. Ita victoriam obtinuerunt incredibilem. Nam tria millia Chriſtianorum, præeunte crucis labaro, contra Saracenorum quadraginta millia progreſſi ſunt ad conflictum. Nec auxilium ex alto defuit. Nam cæleſtis ſplendor ſic exterruit hoſtes, ut catervatim fugerent. In fugâ ſeptem millia hoſtium cæſi, aquis quinque millia ſubmerſi. Illæſi ac ſoſpites Chriſtiani omnes redierunt. Iejunium pugnavit, jejunium vicit. Optimè dixit Ambroſius: *Nullum tam grave delictum eſt, quod non purgetur abſtinentiâ, eleemoſynis extinguatur.*

*Ambr. ſer. 15. de Natali Domin.*

Rex Achab ſcelere non uno inſignis, demum reſipiſcens, *operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque.* Quo quidem pœnitentiæ cultu id effecit, ut Deus ſibimet velut gratulatus non ſine Achabi encomio dixerit ad Eliam: *Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? Igitur non inducam malum in diebus ejus.* Acceptiſſima pro peccatis ſatisfactio jejunium, & gratiſſimum reconciliando Numini ſacrificium.

*3. Reg. c. 21. v. 27.* *Ibid. v. 29.*

Temperãtia ab omni ęvo laudata, crapula verò damnata.

Et nónne ab omni ævo damnata crapula, temperantia laudata; illa ut malorum propè omnium cauſſa, hæc verò ut optima offenſi Numinis placatio? Crapulæ delictum contaminat, jugulat, ad inferos præcipitat. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* De impuro luſu & inverecundo ſermo eſt. Idcirco adjungitur eodem loci: *Ceciderúntque in die illâ quaſi triginta millia hominum.* Nimirum *incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Oblivio Dei imputanda crapulæ. Nónne manet etiamnum ſepulchra concupiſcentiæ, ubi ſepultus eſt populus carnis avidus? Nónne pro foribus ædium ſenex Heli eliditur, in acie ipſius filii cadunt, in partu nurus expirat? Meruerat hoc domus ſacrificiorum carnalium defraudatrix, gulę dedita. Nónne propheta temere paſtus, jejunii deſerti pœnam dedit leoni? Nónne apud inferos in divite convivia cruciantur; in paupere Abrahæ ſinum premente jejunia recreantur? Nónne Anna conjux Elcanæ prophetam poſt jejunium & preces impetrat? Nónne Daniel poſt jejunium triduanum Babylonio regi ſomnium explicat? Quis prandia jejunanti in foveâ Danieli per Angelum parata neſciat? Nónne leguminibus & aquâ paſti tres principes Hebræi Babylonias fornaces rident intacti? Nónne Centurionis jejunantis preces auditæ? Nónne Ioſue precibus & jejuniis hoſtes debellat? Nónne regis Ezechiæ cilicia & jejunia Deum ipſi mirificè conciliârunt, & omnes hoſtium cuneos quantumcumque numeroſos profligârunt? Iejunium expiatio noxarum, & gratum ſuperis ſacrificium.

*Exod. c. 32. v. 6. & 28.* *Deut. c. 32. v. 15.*

## CAPVT X.

### *Iejunium præſenti hominis ſtatui convenientiſſimum.*

VSITATVM priſcis effatum fuit: *Sapientis victus facilis.* Nam natura tam contenta eſt modico, ut non nemo ſaturetur, imò etiam inebrietur, fumo tamquam meraco vino. Quod teſtatur metrum:

*Nautica plebs titubat, credas mera vina bibiſſe,*
*Quódque bibit, Tabaci nil niſi fumus erat.*

Chamæleon aurâ paſcitur, cicadæ rore victitant, hirundines vermiculis & culicibus nutriuntur, Gangis accolæ odore pomi vivere dicuntur. Natura paucis, pauciſsimis contenta. Et hoc in bonum hominis mirificè conducit. Cùm enim in vitâ hac, penuria, paupertas, indigentia, inedia ubique ſint obvia, poteſt etiam pauperrimus quiſque id annonæ ſibi convehere, quo certè vitam tueatur. Natura pauciſsimis contenta. Nec enim fames ambitioſa eſt; facilè parabilem cibum non ſpernit; obviis delectatur.

*Deſcribit hanc beſtiam optimè Illuſtriſſim. Dux Nicol. Chriſt. Radzivillus in ſuo Hodœporico, epiſt. 2. mihi pag. 119.*

Diximus abſtinentiam & jejunium valetudini plurimùm conducere, cibi & ſomni condimentum, pecuniæ ac famæ augmentum, ſpiritualium exercitationum adjumentum, noxarum antidotum eſſe. Nunc porrò imus oſtenſuri Iejunium huic noſtro mortalitatis ſtatui eſſe convenientiſsimum.

§. I.

SI voluiſſemus in paradiſo eſſe frugi, manus à furtivo pomo temperare, noſter vivendi ſtatus fuiſſet omni voluptatum genere abundare. Sæpius hoc cogitandum, ut tantò facilius in notitiam cæli deducamur. Nunc verò diuturni à paradiſo exules ſumus, vita omnis conſecranda eſt pœnitentiæ, pro floribus naſcuntur ſpinæ, lolio paſcimur. Heu miſerabilem luctum! Atqui hunc pœnitentiæ ſtatum nihil magis addecet quàm temperantia & jejunium. Cùm Saulis Hebræi regis ſubditi dominum ſuum tumulo mandarent, diebus ſeptem jejunârunt. Lugere & jejunare cognata ſunt.

Iejunium eſt convenientiſsimum ſtatui pœnitentiæ.

Iudæos in Babyloniâ captivos hortabantur incolæ: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Iudæi contrà: *Quomodo,* inquiunt, *cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?* Cantent ii, qui etiamnum habitant Hieroſolyma; os noſtrum non reſpondet fiſtulæ; animus ærumnis perditus odit & arcet lætitiam. Ita nos planè qui paradiſo ejecti miſerè vagamur in exilio, ignari (quod miſerrimum) num in paradiſum ſimus redituri. Ita hoc quidem tempore deliciis indulgere, ſympoſiis intereſſe, conviviis vacare, alienum prorſus eſt à luctu hujus temporis. Voluptas in exilio, monſtrum. Deliciæ in fletu, paradoxum: Pœnitentiam, lacrymas, abſtinentiam hic rerum ſtatus ſibi depoſcit. In hortis Elyſiis ſuaviſsimæ ſonabant voces: *Ex omni ligno paradiſi comede.* Sed brevî ſecutum eſt fulmen: *Comedes herbas terræ. In ſudore vultûs tui veſcêris pane tuo, donec revertaris in terram, de quâ ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem revertêris.* Eſurialis cibus, olera & herbæ.

*Pſal. 137. v. 3. & 4.* *Gen. c. 2. v. 16.* *Ibid. c. 3. v. 18. & 19.*

Ideo illi qui ſemper focos luculentos, culinas plenas, menſas opimas, ventrem infartum habent, jure merito interrogandi ſunt: Heus vos, ô boni, num ſcitis, quâ in regione, quo in ſtatu, quibus in ſtudiis verſemini? Etiamnum amœniſsima tempe vos incolere putatis? Fuiſtis in paradiſo, non eſtis ampliùs; nunc eremum habitatis & horridam ſolitudinem.

Mina-

*Iſai.c.12. v.12.13. & 14.*

Minatur olim Iſaias: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illâ ad fletum & ad planctum: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.*

*Luc.c.6.v. 24.& 25.*

Hæc cantilena quōdam Iudæis occinebatur. Haud alia Chriſtianis ingeruntur à Chriſto: *Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.* Non egent hæc explicatione. Aperta, clara ſunt ſatis. Væ opulentis, væ nugacibus, væ ſaturis ac temulentis. Væ iis omnibus qui cælum extra cælum ſibi fabricant, qui bona ſua recipiunt, dum vivunt, & quidquid adverſi eſt, laſcivâ hilaritate concoquunt. Væ beatis extra beatitudinem æternam. Atqui *væ* iſtud in lege novâ plerumque inferos minatur.

Cùm igitur væ illud mœſtiſsimum non ſobriis & jejunis, ſed ſaturis & ebrioſis, velut Damocli ſtrictus è ſetâ gladius immineat, quid eſt, quòd ſobrietatem, jejunium, abſtinentiam, occultis odiis inſequimur? Adéone libet ad perniciem noſtram deſipere?

Solent opificum famuli cùm ex urbibus in alias terras emigrant, fidicines & unà cadum cereviſiâ plenum ſolenni ceremoniâ præmittere, ut iter tantò hilariùs ingrediantur. Si pari modo mancipia ad triremes damnata, dum in viâ ſunt ad illos navales carceres, tympana fidiúmque cantus ante ſe vellent præcedere, rem utique ſtultiſsimam & omnibus Democriti cachinnis exſibilandam facerent. Quid enim opus, ô miſeri, tripudiis iſtis? triremibus jàm jam affigemini, & patibulum veſtrum inter choreas & plauſus lubet accedere? Ita nos mortales ad triremes damnati ſumus omnes, variè per tranſtra diſpoſiti: terrificas ſubinde voces audimus: Remiga trifur, remiga, remiga. Neque à remo dimittimur, dum vita finiatur. Quàm igitur luculenta fatuitas eſt reos triremibus affixos ſplendidè prandere, lautè cenare, & bacchanalia velle vivere? Quid hoc agitis furioſi, lautitias inter remigum ſordes quæritis? Non hoc temporis, non loci eſt. Laborandum & ſudandum, abſtinendum & jejunandum: hic vitæ noſtræ ſtatus eſt. Mutatis vos & invertitis? Cavete, ne vobis olim occinatur illud: *Filii recordare, quia recepiſti bona in vitâ tuâ.*

*Luc.c.16. v.25.*

## §. II.

IVvat profectò hunc vitæ noſtræ ſtatum optimè intelligere. Intellexit eum vir ſanctiſſimus è priſcis Patribus Pior, qui non ſedit nec accubuit, cùm cibum ſumpſit, nam ambulando comedit. Interroganti quid ita faceret? reſpondit: In ſumendo cibo non quaſi opus facio, ſed quaſi ſupervacaneum quiddam. Menſæ ratio hæc illi fuerat. Cibus, unicum paximatium cum quinque olivis; Creticum, quod illi cella propinabat, aqua fuit amara & ſalſa. Nec enim alia illic locorum inveniebatur. Hortabantur virum aliqui, aliò migraret, atque tam ſeipſum quàm adventores & hoſpites ſuos ingenti moleſtiâ levaret: nam quicumque ad illum reviſebant, ſimul aquam afferre ſecum cogebantur. His Pior religioſè ac prudenter: Si amaritudinem, inquit, fugimus abſtinentiæ, & volumus in hoc mundo requiem habere, perpetuis paradiſi deliciis non fruemur. Hic vir, hic eſt, qui vitæ ſtatum probè habebat cognitum. Ideo annis triginta hos abſtinentiæ rigores perpetuavit.

*Socrat. Eccleſ. hiſt. l. 4. c. 18. Ruffinus Aquil. n. 31. apud Roſvveid. mihi pag. 503.*

Nimirum remiges egeni ſumus, non ita multò pòſt è navigio in mare præcipitandi: Quid, obſecro, delicias ſectamur, cur abſtinentiam horremus? Tenui rectiſſimè vivitur. Quid ſtomachum laxamus ad cupiditatis menſuram? Chryſoſtomus temperantiam identidem inſtillans: *Ventrem*, inquit, *accepiſti, non ut nutrias, non ut diſtendas, non ut dominum habeas; ſed ut illi domineris, ut tibi inſerviat ad ceteras partes alendas; non ut illi ſervias, non ut fines tranſilias.* Scias igitur in eo te ſtatu degere, in quo corpus ſubeſſe ac famulari debeat, animus præeſſe ac imperare; olim ambo ſimul futuri ſunt rerum domini.

*Chryſ. hom. 10. in ep. ad Philipp.*

*Boëth. l. 2 de Conſol. metro 4. proſâ 5. med.*

Severinus Boëthius hunc vitæ ſtatum, quem depingimus, oratione pedeſtri exprimens: *Paucis*, inquit, *minimiſque natura contenta eſt, cujus ſatietatem ſi ſuperfluis urgere velis, aut injucundum fiet, quod infuderis, aut noxium.* Theologi affirmant, jejunium juris ac præcepti eſſe naturalis. Adeóque ſi quis carnis aut cacodæmonis blandimentis aliter reſiſtere non poſſit, vel ipſa huic natura inclamat: Abſtine, jejuna, abſtine, abſtine.

Ieiunium eſt juris ac præcepti naturalis.

Ajunt hominem in carceres immitiſſimos conjectum fame necandum. Ille, ut ſagax eſt gula & fames, riſcos ſcrutari, alimoniam quærere, angulos omnes excutere, denique nihil niſi panem lapideum invenire: lapidem comeſſe refugiunt dentes, dentium jacturam non æſtimare vitæ amor perſuadet. Ergo, ut diutiùs poſſet vivere, non recuſavit validiſſimè eſurire. Ita panem duriſſimum non arroſit, ſed ſuxit, & repoſuit in diem ſequentem. Idem altero die fecit, non aſſumens panem, ſed ſugens. Quo quidem ſuctu in novem hebdomades vitam protraxit. Cúmque jam pridem contabuiſſe fame crederetur, repertus eſt vivus & ſine morbo, ſed viribus ob famem tam diuturnam exhauſtis.

En, obſecro, quàm verè natura, ut Boëthius loquitur, minimis ſit contenta. Quod Seneca illuſtri teſtimonio confirmans: *Parvo*, inquit, *fames conſtat, magno faſtidium. Infelices vos eſtis, qui exiſtimatis vos famem majorem habere quàm ventrem. Venter non eſt moleſtus creditor, parvo dimittitur: ſi modò das illi, quod debes, non quod potes.*

*Senec. ep. 17. initio, & epiſt 21 fin. Simplex aliquid: Non quod potes, lautum aut affluens, ſi ipſe tales.*

## §. III.

IN coronidis vicem hîc attexo. Medicus celeberrimi nominis, & eruditionis eximiæ familiariùs mecum agens ſeriò affirmavit, eam vivendi methodum haberi longè probatiſſimam, quæ aut cenam penitus abſcinderet, aut ferculum unicum, vel, ut ipſe loquebatur, ſimplex aliquid, ſive hordeum probè lixum, ſeu ova duo, ſive offulam ex ovis factam, ſeu, quod omnium optimum videtur, modeſtum & parcum è carne ferculum, idque unum atque unicum permitteret. Idem & Cardanus præcipiens: Cenet modicâ carne, inquit, aut bonis piſcibus, præſertim aſſis. Is ſanè vitam incolumem & ſenſus ad ultimum deducet ævum. Hunc enim modum omnes ut optimum probârunt. Sed quæras, dicáſque: Hoc quidem in cibum, quid porrò admittis in potum veſperi, num menſuram vini?

Vivendi methodus probatiſſima.

*Cardanus l. 1. de tuendâ valetud. c. 41. & proximis mihi pag. 106.*

Si helluo, mi Lector, ut bibo es, legem vix ullam audies; ſi valetudinis & ſobrietatis amans es, potum cibo debitâ proportione addes: parum cibi parum requirit potûs. Hordeum aut offa ſuum unà ſecum adferunt potum. Quocirca his talibus cibis aut nullus potus aut parciſſimus eſt addendus. Sin aliter fiat, in medicas leges & valetudinem delinquetur. Vitæ ac valetudinis amor ſalubrem quandoque famem aut ſitim non horret. Chriſtum audit vociferantem: *Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini.* Vita brevis & incerta in horrrido deſertóque loco exigitur. Beati qui modicum eſurire ac ſitire diſcunt; Beati qui quod neceſſariò faciendum, libenter faciunt; Beati qui corpori caſtigando in leges abſtinentiæ ſanctiſsimas jurant; Beati qui parabili modicóque victu contenti, ſe ſuámque famem cælo ſervant; Beati apud quos convivia, comeſſationes, ſympoſia ignota ſunt, quia loco meliori ſaturabuntur. Eccleſiaſtes ſapientiſsimè præmonens: *Omnia*, inquit, *tempus habent: Tempus flendi, tempus ridendi.*

*Luc. c. 6. v. 21.*

*Eccleſ. c. 3 v. 1. & 4.*

Tempus

Tempus edendi, tempus abſtinendi. Tempus epulandi, tempus jejunandi. Nunc quidem dum triremibus affixi laboramus, plorandi ac jejunandi tempus eſt, in cælo epulandi erit. Satiabimur cùm apparuerit gloria Domini.

## CAPVT XI.

### *Iejunium quotidiano ſanctiſſimorum hominum uſu confirmatiſſimum.*

CYRIPÆDIAM ſcripſit Xenophon, & Rempublicam Plato, & Oratorem Tullius, quemadmodum pictores eorum, quos depingunt, effigies plerumque formoſiores penicillo reddunt quàm ſint. Et Xenophontis quidem Cyripædia nobiliſsimis præceptionibus abundat. Has Cyrus dictis exemplíſque tradit, non quòd is reverà talis vixerit, ſed quòd eum talem vivere decuerit. Inter præceptiones ceteras Cyrus & hanc tradit: Qui præſentem ſibimet voluptatem eripit & ab eâ temperat, non ejus opinionis eſt, ut numquam velit hilareſcere, ſed ut futuro tempore tantò plus voluptatis habeat, quantò plus ſibi ademit. Objectioni reſpondit Cyrus hominum profanornm, à quibus hæ voces ſunt: Quid aſsiduè tam mœſta? Tempus flendi, tempus exilii, tempus abſtinendi, tempus largiendi & jejunandi. Sudandum in triremi, eſuriendum ac ſitiendum, nihil altilium, nil cupediarum deſiderandum, ubi panis mucidus & fœtens aqua in deliciis ſunt. Quouſque tandem iſta? Hæc, ajunt, identidem cogitare nimis tetricum & moroſum eſt. Vivamus hilariter, & curemus, ut nobis bene ſit, dum licet.

**De modo bene vivẽdi præceptio à Cyro tradita.**

Huic hominum genio pauciſſimis reſpondet Cyrus: Voluptatis victoria, voluptas maxima. Hoc omnibus Chriſti amicis ſemper perſpectiſſimum fuit. Eorum hîc aliquos nominare animus eſt; omnes aut pleroſque nec toto libro poſſim complecti. Ita more meo ſeligam, non colligam. Itaque paucorum hîc exempla ſubjiciam, qui abſtinentiæ & jejunii laude floruerunt, quíque nos ſeros nepotes docuerunt, eâdem gradi viâ ad cælum.

### §. I.

*Baſilius de laud. jejun.*

**Omnes ſancti ad vitam Deo dignam inſtituti sũt per jejunium.**

BAſilius Magnus in jejunii elogia diſertiſſimus: *Omnes ſanctos*, ait, *quotquot fuerunt, ad vitam Deo dignam per jejunium fuiſſe inſtitutos reperies.* Omnia divinæ paginæ volumina pervolve, & probatiſſimos quoſque ac ſanctiſsimos homines crebriùs ac ſeveriùs invenies jejuniis operatos.

*Deut. c. 9. v. 9.*

Moſes bis quadragintadiale jejunium ſtrictiſsimè ſervavit, quo toto tempore nec cibi quidquam nec potûs admiſit. Ipſe de ſeipſo: *Perſeveravi*, ait, *in monte quadraginta diebus ac noctibus panem non comedens, & aquam non bibens.* Hæc prima Moſis quadrageſima fuit. Alterius idem teſtis mentionem injiciens: *Et procidi*, ait, *ante Dominum, ſicut priùs, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens propter omnia peccata veſtra, quæ geſſiſtis contra Dominum, & eum ad iracundiam provocaſtis: timui enim indignationem & iram illius, quâ adverſum vos concitatus delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice.* En jejunii cum oratione conjuncti vires.

*Ibid. v. 18.*

*Ibid. v. 19. & 20.*

Moſen æmulatus Elias, qui Angeli monitu pane ſubcinericio & fonte publico ſe reficiens, *in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb ambulavit.* Poſt jejunium tam prolixum, familiariſſimum cum Deo colloquium impetravit. Rem admirandam! Hi ſoli duo jejunatores in rupe Taboreiâ cum Domino IESV colloqui ſunt auditi. Adeò arctam cum cælo familiaritatem conciliat jejunium.

*3. Reg. c. 19. v. 8.*

Iuditha ſanctiſſimæ famæ vidua, quod ſacræ paginæ teſtantur, jejunavit *omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabbata & feſta domus Iſraël*: Hæc una & ſola femina Holofernem cum omni Aſſyriorum exercitu debellavit precibus & jejuniis.

*Iudith c. 8. v. 6.*

Iuditham imitata Eſther regina, quæ triduum totum impranſa & incenata precibus vacavit. Rem grandem petiit & obtinuit. Iejunium orationi junctum poteſt omnia.

*Eſther c. 4. v. 16. & c. 14. v. 1.*

Gemina in hoc Eſtheri Sara, quæ pariter triduanam inediam conſtantiſsimè toleravit orando. Non eſt catapulta vel ulla machina, quæ certiùs cælum expugnet quàm jejunium.

*Tob. c. 3. v. 10.*

Patientiæ magiſter Iobus jam in fimo velut in lectulo compoſitus, amicis adſidentibus, ſeptem diebus & ſeptem noctibus jejunavit. Ne quid exempli ad omnigenam patientiam deeſſet, non ſolùm cruciatus corporis, ſed & latratus ſtomachi famem ſitimque pertulit. Nihil excipit vera tolerantia, ſilentio pugnavit Iobus & jejunio; ita victoriam reportavit, ita ſtygios hoſtes triumphavit. Vis cacodæmonem debellare; Iejuna. Guloſos & ſaturos non timet hic hoſtis, ſed temperantes & ſobrios. Sulpitius Galba, Imperator, Suetonio teſte, in Germaniam inferiorem miſit, contra opinionem, Aulum Vitellium profundæ gulæ hominem & ventri natum. Nemo non mirabatur Galbam nihil ſibi ab eo monſtro timere. At Galba nullos, ajebat, minùs metuendos, quàm qui de ſolo victu cogitarent, comedones, gulæ proceres, catillones. Ita profectò diabolus abſtinentes, ſobrios, jejunantes timet; guloſos, manducones, patinarios, popinones, ingluvioſos non timet. Certam ſibi ab his ſpondet victoriam.

*Suetonius in Vitellio mihi pag. 408.*

Tobias vir ſuę gentis laudatiſsimus, ut tantò promptiùs liberalis eſſet in mortuos, convivium jam paratum deſerens properavit rem ſuam terræ reddere. Copulatæ virtutis eſt petenti ſtomacho negare eſcam, & mortuo non roganti etiam cum vitæ periculo impertiri ſepulturam.

Eſdras ſacerdos de ſeipſo: *Et prædicavi ibi jejunium*, inquit, *juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Deo noſtro, & peteremus ab eo viam rectam. Iejunavimus autem, & rogavimus Deum noſtrum pro hoc, & evenit nobis proſperè.* Dicta confirmans: *Sedi*, ait, *& flevi, & luxi diebus multis, & jejunabam & orabam ante faciem Dei cæli.* Eſdram impetraſſe, quæ petiit, ne miremur, precibus armatis egit.

*1. Eſdr. c. 8. v. 21. & 23.*

*2. Eſdr. c. 1. v. 4.*

Regum ſanctiſsimus David jejuniorum aſsiduitate omnes ſuperavit. Hinc illæ in pſalmis voces: *Humiliabam in jejunio animam meam. Operui in jejunio animam meam. Genua mea infirmata ſunt à jejunio.* Vt filiolo morituro vitam impetraret à Deo, *jejunio jejunavit.* Hoc ſanè ſerium eſt jejunium, cùm vires deficere, corpus attenuari, genua labare incipiunt, cùm animus inediâ velut veſte undique operitur, cùm jejunio jejunatur. Sunt enim aliqui, qui ſicut audientes non audiunt, ita jejunantes non jejunant: adeò enim abundanter & delicatè prandent vel cenant, ut gulonum quiſque illorum jejunia, quàm aliorum non jejunantium prandia malit. Nam illi tales quò minùs jejunium ſentiant, non mulùm ante horam undecimam cubitu ſurgunt. Ita è lecto menſam eduliorum varietate ſtructam accedunt. Nihil piſcium, nil ovorum, nil oleris aut pultis melioris nec ad ſaturitatem, nec ad delicias deeſt. Ad præſepe tam plenum quis eſuriat? Sed, inquis, Eccleſiæ leges nihilominus ſervo, Cruciatæ Bullam habeo, carnibus abſtineo, ſemel dumtaxat in die calentes cibos admitto, contentus unâ refectione. Sed hæc tua, ô bone, una refectio duabus aliis aut tribus æquiparanda. Non eſt hæc eſurialis, ſed aditialis cena. Et quamuis fortè ſatisfacias legi, non tamen legis fini,

*Pſal. 34. v. 13. Pſal. 68. v. 11. Pſal. 108. v. 24. 2. Reg. c. 12. v. 16.*

qui

*[Marginal note: Qui jejunat moleſtiam jejunii tolerare debet.]*

qui eſt famem ſentire, carnem domare, libidinis impetus retundere, aliquam jejunii moleſtiam tolerare, & ita offenſum Deum placare; tu verò magis offendis gulæ ac intemperantiæ noxis? Obſecro, Chriſtianum te eſſe memento, quem Chriſtus docuerit, non amare ſuam animam, ſed odiſſe.

*[Marginal note: Ezech. c. 4. v. 10. & ſeqq.]*

Rex Achabus, quamvis impius, ad jejunium velut ad aſylum confugit. Rex pientiſſimus Ioſaphat cùm omni populo jejunat. Nec aliter Rex Iechonias cùm omni plebe jejunium obſervat. Ezechiel Propheta juſſu Dei rigidiſſimis ſeſe jejuniis exercet. Ita Deus juſſerat: *Cibus tuus, quo veſcêris, erit in pondere viginti ſtateres in die: à tempore uſque ad tempus comedes illud: & aquam in menſurâ bibes, ſextam partem hin: à tempore uſque ad tempus bibes illud. Et quaſi ſubcinericium hordeaceum comedes illud, & ſtercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum.* Ita Daniel cum ſuis, ita alii priſcæ legis jejunia quàm maximè ſeria obſervârunt.

### §. II.

IN lege novâ Chriſtus Dominus jejunavit, & quidem diebus quadraginta. Poſt inediam tam prolixam, quoties cum diſcipulis eſuriit ac ſitiit, cùm eos fames vellere ſpicas & mandere doceret? Alii Servatoris diſcipuli, Paulus, Barnabas, Simon, Lucius, Manahen, ceteríque ſectatores Pauli in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis ſe Deo probârunt.

*[Marginal note: Nazian. Orat. de pauperum amore.]*

Petrus Apoſtolus, Gregorio Nazianzeno teſte, pæne ſemper jejunavit, ſolis lupinis aſſe minuto comparatis veſcens. Matthæus Evangeliſta, quod Clemens Alexandrinus tradit, oleribus victitans, carnibus abſtinuit. Iacobus filius Alphæi, frater Domini, virginitatis illibatæ cultor, carnibus, vino, ſiceráque ſemper abſtinuit; nec ſolùm genua, ſed & frontem cameli callo aſperam fecit, jugi corporis ad pavimentum alliſu. Hac animi corporiſque ſubmiſſione, ut Chryſoſtomus teſtatur, frequentare preces conſueſcebat. Cúmque ætatem ad annum nonageſimum ſextum perduxiſſet, è templi faſtigio præcipitatus, eſurialem vitam ſanctiſſimè clauſit.

*[Marginal notes: Matt. c. 11. v. 18. — Luc. c. 2. v. 37.]*

Ioannes Baptiſta, Chriſti prodromus, non ſolùm continuis jejuniis vitam diſtinxit, ſed cibi potúſque tam exiguum ſumpſit, ut Chriſtus de ipſo dixerit: *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens.* Sic Anna vidua Phanuëlis filia, quæ ad annos octoginta quatuor pervixit, *jejuniis & obſecrationibus ſerviens die ac nocte non diſcedebat de templo.* Ita primæ originis Chriſtiani non ſolùm in multâ patientiâ, ſed & in jejuniis multis Deo ſe probârunt. Affirmat Hegeſippus primos Chriſtianorum à beato Marco Alexandriæ Pontifice ſic eruditos, ut carnibus & vino abſtinuerint.

*[Marginal note: Triplex defectus orbis; Orationis, commiſerationis, & caſtigationis.]*

Ita poſt primos à Virgine pariente annos tot ſanctiſsimorum Chriſti Martyrum, tot Confeſſorum, tot Præſulum & Epiſcoporum, tot Sacerdotum ac Virginum, tot alii homines ſanctiſsimi ſuas preces abſtinentiâ & jejunio armârunt, & pugnârunt in omne vitium feliciſsimè. Nimirum, quod jam ſæpè diximus, miles ſine gladio, oratio ſine jejunio. Res geſtas hominum ſanctorum omnium evolve, & neminem unum ex omnibus invenies, qui non induſtriâ ſingulari carnem jejuniis domare ſtuduerit. Animadverterunt ſanctiſſimi viri, quâ parte laboraret orbis, & defectum triplicem deprehenderunt, Orationis, Commiſerationis, Caſtigationis. Orationis defectu homines fiunt ſine Deo. Ideo illi conati ſunt Deo quàm conjunctiſsimi eſſe per orationem. Commiſerationis defectum ſola nummorum cura nutrit. Ideo illi tantopere urgebant eleemoſynas. Caſtigationis defectu carnis petulantiam nimiùm quantùm creſcere, atque hinc orbem univerſum vitiis carnalibus ſcatere ingemuerunt. Ideo carnem jejuniis macerandam cenſuerunt. Iejunium antiquiſſima, probatiſſima, ſaluberrima corporis caſtigatio.

*[Marginal note: Aliqui beatorum hominum qui ſtrictius jejunii genus ſectati ſũt recenſentur.]*

Hic ex omni numero ſapientum ac beatorum hominum paucos, & eos præcipuè, qui ſtrictius jejunii genus ſectati ſunt, nominabo. Admirandum infantulos in cunis, imò etiam in utero matris cœpiſſe inediam ferre. Vrtica ſcilicet maturè urit, ſanctimonia celeriter ſe prodit.

### §. III.

*[Marginal note: Nicolaus Myrenſis Pontifex.]*

NIcolaus Myrenſis Pontifex, cùm in cunabulis puerulus etiamnum vagiret, ſtatis Mercurii & Veneris diebus, ſemel tantummodo lac ſugere ſuſtinuit. Sicut principium filii mores aulicos pæne in cunis docentur, ſic Deus ſuos à teneris unguiculis ad abſtinentiæ leges vult erudiri.

*[Marginal note: Stephanus presbyter Conſtantinopolitanus.]*

Stephanus Presbyter Conſtantinopolitanus priuſquam extra uterum vivere, jam jejunare cœpit. Nam mater eo gravida nec vini, nec carnis, nec lacticinii quidquam admiſit; ubi horum aliquid guſtavit, mox revomuit. Stephanus verò jam natus ubera matris niſi jejunæ ſugere recuſavit. Hic idē adultior ſemel dumtaxat in die corpus refecit, idque veſperi tantùm, nec aliud quàm herbulas injecto ſale lixas comêdit. Hic idem jam Sacerdos opſonio ſalem ademit, & quavis hebdomade bis tantùm refecit corpus. Solitudini demum ſe abdens Stephanus, herbas crudas in cibum adhibuit: juſſus enervato ſtomacho aliquantulum gratificari, & vino uti, paucas vini guttulas in grandem hydriam immiſit, ut ſuus obedientiæ ſtaret honor. In ejuſdem obedientiæ gratiam feſtis diebus paucas ficus in diurnam alimoniam admiſit. Hac vivendi methodo, ad annum ſeptuageſimum tertium pervenit. Nimirum abſtinentiæ vires tunc novimus, cùm experimur. Homo abſtinens, ſingularis Dei voluptas.

*[Marginal note: Epiſcopus Thaunẽſis Siſinnius & alii.]*

Nicolai Mirenſis ritu, Epiſcopus Thaunenſis Siſinnius etiamnum puerulus Mercurii & Veneris diebus lac maternũ non niſi ſemel admiſit. Stephanus Dienſis Epiſcopus quovis die Veneris etiamnum infans & nutricis ubera & omnem alimoniam repudiavit. Antiſtes Sargienſis Majorus, die Mercurii & Veneris omni cibo abſtinuit, diebus ceteris ſolum panem hordeaceum pro omni ferculorum apparatu habuit. Quo quidem victu facilè impetravit, ut illæſam virginitatem ſervârit. Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus quavis feriâ ſextâ, præter aridum panem & frigidam nihil libavit. Ivo, ille pauperum facundus pater, omnibus pervigiliis, ut jejunii legem tantò religioſiùs ſervaret, pane ac fonte ſolo cenavit, prandio penitus omiſſo.

Scis, mi optime Lector, quiſnam iis, quos modò nominavi, aliiſque quàm plurimis abſtinentiam tam rigidam perſuaſerit? Aſſenſus & aſſuetudo. Qui promptè voluit, aſſenſum expedivit, jejunii negotium jam pæne confecit. Adeóque promptum *volo* unicum, non ægrè poſt ſe trahit aſſuetudinem. Ita illi homines ſancti poſtquam promptè *voluerunt*, quidquid eis in tolerandâ inediâ difficile viſum eſt, uno alteróve trimeſtri, in facilem traxerunt aſſuetudinem. Nam robuſtum VELLE, non difficulter ſequitur validum POSSE. Idem in omni virtute adipiſcendâ licet obſervare. Dic mente ſeriâ: Volo eſſe patiens: Et eris. Volo eſſe liberalis: Et mox ſeſe liberalitas prodet. Volo eſſe humilis: Et humilitatem habebis. Dic, Volo jejunare: Et jejuniis brevî aſſueſces.

Ideo non miremur quamplurimos in eam veniſſe aſſuetudinem jejunando, ut tribus quatuórve pluribuſve diebus eſcâ omni abſtinuerint. Eos hîc in numerum non cogam, qui quavis hebdomade bis tantùm refecerunt corpus.

Bonifacius Miſiæ Archiepiſcopus & Martyr diebus

bus

bus Iovis & Solis dumtaxat cibo veſci ſolitus eſt. Samſon Archiepiſcopus Dolenſis duos tréſve dies continuos menſam non accedere conſuevit.

*Obiit S. Germanus ann. 435. Epiſcopum egit annis 30. diebus 25. avo Sixti III. Pontificis Max. & Valentiniani III. Imp. anno quarto Pontificis, undecimo Imperatoris.*

*Pſal 101. v. 10.*

Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus genium omni ſolatio fraudare impenſiſſimè ſtuduit, & pæne ſupra fidem coluit Abſtinentiam. Nam à primo ſuſcepti muneris die, annis triginta totis ad uſque finem vitæ, non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, ſed nec ſalem umquam condiendo cibo admiſit. Primum in cænulâ ipſius ferculum ſeu antecena fuit cinis, quem ſaltem libavit. Imitatus, credo, ſanctiſſimum regem Hebræum, qui de ſeipſo: *Cinerem*, inquit, *tamquam panem manducabam.* Cenæ caput, imò omnis cena, fuit panis hordeaceus, quem tamen ante ſerum veſperem numquam attigit. Nonnumquam dimidiâ hebdomade nil panis guſtavit. Vnicum æſtate & hieme indumentum, dolatos aſſeres pro lecto ſine cervicali ſubſtratos, ceteróſque vitæ rigores taceo.

Bambergenſis Epiſcopus Otho triginta ſeptem annis dum Epiſcopus fuit, ut ſuprà demonſtratum, è menſâ numquam ſurrexit ſatur: quidquid enim appoſitum, egenis & ægris tranſmiſit. Nec ſolùm non eduliorum, ſed nec ipſius quidem panis ſatietate gulam explevit. Hoc inſuper abſtinentiæ prorſus admirandæ ſpecimen adjecit. Eſuriali quodam die, cùm piſcium penuria eſſet, Othonis œconomus lucium non grandem geminis emit ſolidis.[a] Allato in menſam piſce: Quanti, ait Otho, emiſti hoc ferculum? Cui emptor: Duobus, ait, ſolidis. Mox abſtinentiſſimus Antiſtes:[b] Abſit hoc, inquit, ut miſer Otho ſolus hodie tot nummos conſumat. Et cum dicto tollens diſcum: Aſporta, inquit, hunc piſcem ad hominem ægrotum: Ego qui robuſtus ſum, pane iſto me ſatis refecero. Othoni non impar abſtinẽtiâ Poſthumius[c]. Mẽpheus panem & aquam ad dimenſum ſumpſit. Numquam pleno ventre à menſâ receſſit, nec ſitim ſuam umquam ſatiavit. Ejus rei hanc aſſignans cauſſam. Non eſſe dignum, ajebat, ſi carnis voluntas eſſet impleta.

*[a] Difficile, hoc pretium æſtimare. De ſolido differit Ioachim. Mynſingerus Iuriſconſ. l. 1. ſcholiorum in Inſtitutiones Iuris.*

*[b] Auctores qui miram Othonis ſãctimoniam teſtentur, ad Dedicationẽ in margine inferiori laudavimus. Otho Pomeranis inter alia præcepta cõmendavit & iſta: Vt ſextâ feriâ abſtinerent à carne & lacte, more ceterorum Chriſtianorum: Vt ſacroſanctam Quadrageſimam, jejuniis, vigiliis, eleemoſynis & orationibus diligentiſſimè obſervarent. Baron. to. 12. anno 1124. pag. 158.*

*[c] Fuit Poſthumius aliquando reſtio, dein quinque millibus monachorum præfectus. De hoc vide Roſvveydum l. 1. pag 233 & ſequentibus.*

[d] Poſthumium æmulatus Philibertus, teſte D. Antonino, vir religioſus & ſanctus, qui pariter à menſâ numquam abiit ſatur.

*[d] D. Anton. part. 2. chron. tit. 13. c. 6. §. 18. Philibertus monachus cœnobii Rasbacenſis ſub Aglio, ejus monaſterii Abbate primo.*

Elpidius Abbas in ſolitudine rebus divinis vacans, ſolis Dominicis & Mercurii diebus alimenti aliquid ſumpſit. Hinc nihil miremur Hieronymum de ſeipſo ſcribentem: Repugnantem ſpiritui carnem hebdomadarum inediâ ſubjugabã. Nihil hîc miraculi fuit: quia potenter voluit, quia paullatim aſſuevit, ideo potuit.

## §. IV.

*Non paucis, quos ſol non vidit comedẽtes enumerantur.*

FVerunt alii non pauci, quos ſol numquam vidit comedentes, qui veſperi ſemper tenuiſſimo cibo ſolati ſunt famem. Hilarion annorum ſeptuaginta ſenex, ante ſolem occaſum nec feſtis quidem diebus quidquam alimenti cepit. Edulium illius fuerunt lentes non coctæ, ſed aquâ maceratæ, aut herbularum aliquid cum hordeaceo pane. Ab anno ætatis ſexageſimo tertio ad uſque octogeſimum, nec panem quidem amplius, ſed juſculum tantùm è conſectis herbis confectum ſorbuit.

Antonius Magnus non niſi ſero veſpere panem cum aquâ & ſale pro omnibus menſæ lautitiis habuit. Nonnumquam biduum triduúmque, teſte Athanaſio, omni cibo abſtinuit. Paulo Eremicolarum primo tam alimentum quàm indumentum palma ſuppeditavit ad ætatis annum ſexageſimum, ab hoc ad centeſimum decimum tertium dimidiati panis fragmentum quotidie corvus ales attulit, ad Antonii hoſpitis adventum ſubminiſtravit integrum. Hęc libris omnibus decantatiſſima. Epeſium in Schythioticâ eremo ſol annis quadraginta numquam comedentem ſpectavit.

Beatus Sabas qualibet hebdomade dies quinque ſine cibo & potu tranſegit, idque minimùm quinquennio. Divus amatus annuo verno jejunio, pro cenulâ ſiccâ veſperi quinque dactylorum nucleos & modicum aquæ reficiendo ſtomacho adhibuit; triduo toto nihil guſtare ſolenne habuit.

Sanctus Maurillius Epiſcopus eodem jejunio verno, tertio ſolùm die veſperi panem aridum & tepentem aquam reſtaurandæ fami admiſit; hac tamen incredibili victûs ſobrietate ad annum ætatis nonageſimum ſoſpes & incolumis pervenit. Ioannes Bonus Mantuanus, teſte divo Antonino, ad initium quadragintadialis jejunii grandem panem in partes quadraginta diviſit, ut unaquęque dies ſuam ſibi haberet partem. Hæc annona in omne illud tempus ſuffecit, & ſuperfuit. Neque hîc quidquam ſupra naturam eſt tentatum. Prodigioſam Macarii, Simeonis, Anaſtaſiæ, aliorum complurium inediam ſilentio magis quàm eloquio venerandam cenſeo. Liceat tamen hîc compendio, ſed ordine confuſo nominare pauculos, qui cibi prorſus minimi, aut nullius ferè ac viliſſimi fuerunt.

D. Iacobus Apoſtolus, Alphæi filius, vinum & ſiceram non bibit, carnem non comedit. *Seu Cleophæ.*

D. Matthæus Apoſtolus ſeminibus, baccis, oleribus veſcebatur, carne abſtinens. Ceteros Apoſtolorum taceo, de quibus prædicens Chriſtus: *Venient dies*, inquit, *cùm auferetur ab eis ſponſus: & tunc jejunabunt.*

*Matth. 9. v. 15. Marci 2. v. 20. Luc. c. 5. v. 37.*

D. Wolſtanus tribus in hebdomade diebus omnis cibi abſtinens, tribus reliquis porros vel caules elixos cum pane hordeaceo comẽdit.

D. Lupicinus plerumque tertio ſolùm die refectus.

D. Theodorus Siceotes à Natali Domini IESV uſque ad Dominicam diem Palmarum nec pane, nec leguminibus veſcebatur, ſed pomis tantùm & oleribus, idque ſabbati tantùm & ſolis die.

D. Zoërardus ubi tribus continuis ex more diebus ab omni re, quæ mandi poſſet, abſtinuiſſet, tum demum alimoniâ tenuiſſimâ ſe refecit; in Quadrageſimâ 40. nucibus, omnis edulii vicem, contentus.

D. Equitius Recluſus vir magnæ abſtinentiæ, catenis ferreis ad corpus nudum conſtrictus, & cilicio deſuper indutus, ſolo ſiccóque pane cum paucis dactylis vitam ſuſtentavit: per Quadrageſimam ſolis herbarum radicibus victitavit.

D. Liphardus hordeacei panis non niſi unciam unicam in cibum admiſit; aquâ tertio dumtaxat die parciſſimè uſus.

D. Simeon Stylites totis hebdomadibus jejunare ſolitus eò exercitatione inediæ pervenit, ut Theodoreto & Evagrio teſtibus, viginti octo annis totidem quadrageſimas ſine omni cibo traduxerit.

D. Bavo Hasbaniæ princeps panem ſolùm, eúmque non fermentatum, & parte dimidiâ cineribus miſtum pro omni cibo, aquam non niſi ad dimenſum pro omni potu admiſit. Veſtis illius, cilicium; lectus, nuda humus; cervical, ſaxum; ſomnus breviſſimus: nam meditari potiùs quàm dormire viſus.

D. Radbodus Vltrajectenſis Epiſcopus carnium eſu abſtinuit, biduanis ac triduanis jejuniis ex more carnem maceravit.

DD. Mutius & Severus Abbates die Dominico ſolùm cibo ſe curârunt.

D. Wandregiſilus Abbas Fontanellius die Lunæ tantùm & Iovis cibum accepit.

D. Lupus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

D. Lupus Trecenſis Epiſcopus biduum continuum inediâ fatigatum corpus edomare conſuevit.

D. Nicolaus Tolentinas jam ſeptimo ætatis anno tribus cujuſque hebdomadis diebus cibum omnem rejecit. Annis triginta & ampliùs numquam carnes, ova, piſces, ſed nec poma ſeu ſanus ſeu ægrotus comedit. Quavis hebdomade die Lunæ, Mercurii, Veneris, & Sabbato pane ſolo & aquâ victitavit.

Nec in debiliori ſexu defuerunt abſtinentiæ illuſtriſſima exempla.

D. Cæcilia biduanis ac triduanis ſe jejuniis exercuit.

D. Genovefa ab anno ætatis decimo ad uſque quinquageſimum bis tantùm quavis hebdomade die Iovis & Solis, modicum cibi aſſumpſit: tota menſæ lautitia panis hordeaceus & fabæ pulmentum fuit.

V. Margarita Ravennas virgo, cùm ad ſeptimum ætatis annum perveniſſet, extra Dominicum & ſolenniores feſtos dies ſemel dumtaxat de die cibo ſe refecit. Maximam vitæ partem pane ſolùm & aquâ toleravit, idque à ſeptimo ad ætatis annum ſexageſimum tertium.

D. Euphraſia per hebdomadem diebus tribus quatuórve, imò hebdomadibus totis, inediâ carnem caſtigavit.

D. Theodora non abſimili modo totis hebdomadibus ſibi ipſa omni alimento interdixit.

D. Agnes de Monte Politiano ipſos quindecim annos perpetuò ac quotidie ita jejunavit, ut pane ſolo & aquâ ſe parciſſimè refecerit.

D. Clara Aſſiſias dum ſana fuit, geminam quot annis quadrageſimam pane & aquâ exegit, ſolis diebus Dominicis vinum, ſi per paupertatem licuit, libavit. Et quod amplius, in illâ ipſâ geminatâ ſemper quadrageſimâ tribus per hebdomadem diebus, ſecundâ, quartâ, ſextâque feriâ nil penitus cibi vel panis adhibuit. Denique majorum coacta imperio ſeſquiunciam panis (Deus bone, quàm modicum fruſtillum!) pro omni paſtu accepit. Sed ita paullatim ad ævum noſtrum viciniores accedimus.

*Teſtes Surius, Lippeloo, Haræus, alii.*

## §. V.

THeodoſius Imperator natu minor, natus & educatus in aulâ, nihilominus tam vegetis viribus, laboris, æſtûs, frigoris, famis tam patiens fuit, ut quavis hebdomade, Mercurii & Veneris diebus jejunium ſervaret. In Quadrageſimâ tametſi graviter ægrotus pane & vino (mirandum!) abſtinuit: potus aqua, cibus oluſcula fuerunt. Carolus Magnus cum periculo etiam valetudinis exercuit corpus jejuniis. Otho Magnus cum Vngaris prælio conflicturus, totis caſtris jejunium indixit.

*Socrates l. 7. hiſt. Eccleſ. c. 22. Baron. to. 5. ann. 415. Græci vocāt ἀπηγάδας καὶ ὠδεγεικοὺς ἡμέρας. Ita Procopius Gazæ, l. 1. de Ædificiis Iuſtinia. Imp. Surius to. 1. die 17. Ianuarii.*

Lotharius Francorum Rex ſæviſſimo correptus morbo tendebat ad extrema. Iámque velut extinctus à reginâ conjuge deplorabatur. Hinc aulicorum accurſus ad Sulpicium virum ſanctiſſimum. Preces omnium erant, ut is pro regis incolumitate Deum deprecaretur. Motus vir ſanctus tot rogantium vocibus, rem apud Deum & lacrymis egit & jejuniis. Iam quinque dierum inediam toleràrat, ſed ad ſanitatem regi reparandam nihil profectum. Neque verò jam aliud quàm obitus expectabatur. Hinc aulici monebant: Deſineret porrò inediâ ſe conficere; de vitâ regis actum eſſe, viciniſſimam imminere mortem. At Sulpicius: Perficiamus, inquit, quod cœpimus, & duos inſuper jejuniorum dies prioribus addamus: Optima quæque ſpero. Benignus eſt Deus, & facilis exorari. Lux ſeptima, ita ſperemus, reſtituet ſanitatem. Vox ſacerdotis pondus habuit. Exactis inter preces & jejunia ſeptem diebus integra regi valetudo reſtituta eſt, incredibili omnium gratulatione. Tam potens eſt oratio juncta jejunio.

Laurentium Iuſtinianum, Patriarcham Venetum, cùm annum vitæ ſeptuageſimū ageret, & gravi morbo laboraret, nullus medicorum adigere potuit, ut carnes illo die vetitas eſitaret viribus reparandis. Maluit eſurire, maluit infirmus eſſe, quàm vel libare tantùm quod Eccleſiæ leges vetarent.

Lutgardis in Belgio religioſiſſima virgo, cujus res geſtas ſcripſit Thomas Cantipratanus Proepiſcopus, quæ anno Chriſtiano milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto vitam finiit, annos nata ſexaginta quatuor. Hæc noctu ſacris ſeſe meditationibus exercens, aſpectabilem vidit Domini matrē, ſed triſtem. Quæſiit Lutgardis: Cur mater gaudii triſtaretur? Qui Virgo cæleſtis: Improbi Chriſtiani, ait, filium meum denuo crucifigunt. Albigenſium hæreſis eâ tempeſtate graſſabatur. Lutgardis divinitus edocta, quid potiſſimùm faceret iræ cæliitum placandæ, ſeptem ſibi annos deſtinavit, quibus jejunia quotidiana támque ſevera iniit, ut præter panem & zythum nihil guſtârit. Septennio primo finito alterum eſuriale ſeptennium ſic à ſemetipſâ exegit, ut præter panem & olera nihil opſonii eſitarit. Huic verè geminam jungamus.

Maria Oegniacenſis in agro Leodienſi nata, per triennium à die decimo quarto Septembris ad Paſcha pane atro ſolùm & aquâ vitam ſuſtentavit, vexans veriùs quàm extinguens famem, centies de die genua in preces ſubmittere, trecentis plagis caſtigare corpus conſuevit. Columba virgo Peruſina ſolis fructibus famem non ſuſtulit, ſed ſedavit. Infinitum ſit omnes jejunantium claſſes percenſere. Mihi ſemper animus non colligere, ſed judicio ſeligere. Hîc eos, qui aliquot hebdomadibus, imò menſibus, imò & annis compluribus, nil potûs admiſerunt, vitandæ prolixitati, tranſeo.

*Sanctiſſimæ hujus feminæ dies natalis eſt 23. Iunii.*

Hoc unum loco ſpeciminis ſubjicio: In urbe Pergamo fuerunt ægri, Galeno teſte, qui oraculi juſſu quindecim diebus nihil biberunt, & convaluerunt. Halæ in Parthenone regio nobilis virgo Magdalena Velſingerin octennio nihil bibit, teſte oculato locupletiſſimo, medico clariſſimo Hippolyto Guarinonio. Ergo propriùs noſtri temporis abſtinentiam inſpiciamus.

*Galen. l. 16. morb. vulg. com. 8. D. Guarin. l. 4. de Abominand. c. 18. mihi pag. 592.*

Philippus Nerius illuſtris ſanctimoniæ vir, cùm annum ageret decimum nonum, hanc ſibi legem indixit, die uno ſemel dumtaxat edere, nec aliud quàm panem: quandoque toto triduo nec panis miculam guſtavit. Sacerdotio jam inauguratus ſumpto manè juſculo ad cenam perdurabat impranſus. Omnis cenæ apparatus unicum fuit ferculum, nec lautum, nec pretioſum. Nam aut ova duo, aut fabæ, aut cicer, aut lentes, aut aliquid oluſculorum cenam omnem adornabat. Plus uno ferculo cenare nefas ducebat; è carnibus aut piſcibus rariſſimè, è lacticiniis numquam comedebat, vini probè diluti perquàm modicum bibebat. Beati, imò verè & ſani, qui nunc eſuritis.

*Anno 1622. à Gregorio XV. in Sanctorum album relatus, unà cū Sanctis Ignatio, Xaverio, Iſidoro, Tereſâ.*

Carolus Borromæus purpuratus Senator, Mediolanenſis Pontifex, à puero ad omnem virtutem proniſſimus, eò abſtinentiæ ſtudio progreſſus eſt, ut demum quotidie jejunârit, pane & aquâ in ſolidū diem contentiſſimus, idque ad extremum vitæ ſpiritum perpetuavit: Dominicis ſolùm & feſtis diebus leguminis, aut pomorum, aut oleris aliquid pani addidit, grandes ſcilicet lautitias. Gregorius XIII. ſummus Antiſtes Carolum velut amantiſſimus pater monuit, hos ſibi abſtinentiæ rigores nimios videri, quare illos aliquantulum remitteret, & paullò liberalius prandere, ad vitam divinis obſequiis diutiùs propagandam. At Carolus contrà parātiſſimum ſe ajebat obedire, conſtare tamen ſibi ab experientiâ, mitem hanc inediam ipſi etiam valetudini plurimùm prodeſſe ad pituitam, quâ redundaret, celeriùs ſiccandam. Ponti-

ſex manſuetè ceſſit. Borromæus, ut cœperat, perrexit, eâ in ſeipſum animadverſione, ut in æſtu ſummo non tantùm non vinum, ſed nec aquæ guttulam extra tempus libârit. Beati, ter quatérque beati qui nunc eſuriunt, quoniam ſaturabuntur delitiis ac voluptatibus æternis.

Omnes ſancti res arduas jejunio ſunt aggreſsi.

Hîc ſolùm illud Cypriani addo, qui de jejunio & tentatione Chriſti diſſerens: Quotquot virtutum vidimus viros, inquit, ſine jejunio non legimus aſcendiſſe; neque aliquid magnum moliti ſunt, niſi abſtinentia præceſſiſſet. Monſtrate mihi, obſecro, hominem ſanctum, qui non ſingulariter amârit abſtinentiam; monſtrate hominem virtutis ſtudioſum, qui oderit jejunium; monſtrate viros, qui in rebus arduis & divinis magnum quid facturi, non illud jejunio & abſtinentiâ ſint aggreſſi. Eam ob cauſſam hortatur Paulus:

*2. Cor. c. 6. v. 4. & 5.*

*In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multâ patientiâ, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, &c. in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate.* Eſuriamus modicùm; cùm apparuerit gloria Domini, ſatiabimur æternùm.

## CAPVT XII.

### *Iejunium vitioſæ cupidinis extersorium medicamentum.*

Diſcrimen pharmacorum.

MAXIMVM in pharmacis diſcrimen eſt. Nam uti effectus eorum planè ſunt diverſi, ſic etiam nomina diverſa ſortiuntur. Numerus horum ingens. Sunt enim medicamenta alexipharmaca in venenum pugnantia: Sunt anodyna dolores mitigantia: Sunt anaſtomica venas reſerantia: Sunt attrahentia, emollientia, relaxantia, rarefacientia, repellentia; ſunt catarctica & ecphractica: Sunt glutinantia, incarnantia, ſiccantia, ſoporifera, hydragoga, ſternutatoria. Sunt denique repurgantia etiam & exterſoria.

*Vel cathartica.*

Abſtinentiæ tituli.

Abſtinentia hos omnes titulos cum dignitate poteſt tueri. Iejunium verè alexipharmacum, anodynum, relaxans, catarcticum, &c. ſingulari tamen modo exterſorium eſt. Quidquid enim ſordium voluptas impura contrahit, id jejunium extergit. Et reverà ſi alia nulla ſuppeteret cauſſa, cur ſæpiùs jejunandum, hæc una foret ſufficientiſſima: jejunium eſt medicamentum carnis exterſorium. Inter omnes namque corporis caſtigationes nulla eſt, quæ carnis petulantias ita placidè, ſenſim, validè componat & reducat ad modeſtiam, atque jejunium & abſtinentia. A jejuniis diſcit caro non ferocire aut inſoleſcere. Flagra, humicubationes, cilicia, mortificationes alias præcellit jejunium, pharmacum prorſus optimum, & carnis inſigniter exterſorium; modum iam explicabimus.

Inter corporis caſtigationes jejuniū eſt præſtātiſsimum.

§. I.

*Gell. l. 15. Noct. Att. c. 1.*

OPpugnabat L. Sulla in terrâ Atticâ Pirȩum, contrâ Archelaus turrim ligneam defendendi gratiâ ſtructam propugnabat. Eduxit copias Sulla, & omni quâ potuit induſtriâ conniſus eſt turrim illam, quæ interpoſita obſtabat, incendere. Venit, acceſſit, ligna ſubdidit, ſubmovit Græcos, ignem admovit. Satis diu conati numquam quiverunt turrim incendere. Nam eâ ſolertiâ Archelaus omnem turris materiam alumine obleverat, ut illa ignis patiens licet ex omni latere circumplexa, igni ardere non potuerit. Obſtupuit Sullanus miles hanc turris invictam pertinaciam. Ita conatibus eluſis omnibus reductæ ſunt copiæ. Caro noſtra ut lignum abiegnum, concipiendæ flammæ aptiſſimum, ignibus malignis facilè corripitur. Sin autem hic truncus alumine jejunii & abſtinentiæ oblinatur, ignis cupiditatis & libidinis vires perdit & neutiquam incendit.

A Vetus Hieronymi & ſancta præceptio eſt: Ardentes dæmonum ſagittæ jejuniorum frigore ſunt reſtinguendæ. Gula vitiis omnibus viam ſternit. *Frena gulam, & omnem carnis inclinationem faciliùs frenabis.* Cùm plenus eſt venter, in libidines facillimè deſpumat. In corpore bene farto ſubtiles, ſacræ, ſublimes cogitationes vix umquam habitant. Cur equus tam infrenis, calcitro, ſuccuſſor eſt? nimium avenæ habet. Cur Iudæi olim tam contumaces ac rebelles Numini? nimium habuerunt annonæ.

*Imit. Chriſti Thom. de Kempis l. 1. c. 19. n. 4.*

Veriſſimè in rem Baſilius: *Corpus bene ſaginatum*, inquit, *& anima illi merſa ad peccandum proclivis eſt. In promptu eſt noxa non una, cùm gula eſt ſpiritûs domina. Satanas hoſpitio ſicco non delectatur.* Hinc illa Chriſti diviniſſima concio: *Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiē & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi.* Cacodæmon ſuaviſſimè habitat, ubi in madido eſt, & natabulum habet,
B ubi eſtur ac potatur largiter. Hîc illius requies. Anima ſicca, anima optima, diabolo inimica.

*Luc. c. 11. v. 24.*

Hebræus Pſaltes David ſub venuſtâ imagine rem ponderans. *Homo*, inquit, *cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Monuerat quidem ſedulò David: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Facti ſunt; nemo paruit, equum & mulum induerunt. Quid hîc remedii? Quî miſeris opitulandum? Mox remedium præſcribens Hebræus pharmacopola: *In camo*, inquit, *& freno maxillas eorum conſtringe.* Quid hoc ais, regum optime? Cur non oculis medendum, quibus plurimùm peccatur? Cur non auribus, cur non manibus aut pedibus, quibus ſæpiſſime delinquitur? Iſaias teſtis: *Manus veſtræ*, inquit, *ſanguine plenæ ſunt. Pedes eorum ad malum currunt*, ſapientiſſimi exprobratio eſt. Hæc igitur membra rapiantur in vincula, quæ tot perpetrant peccata. Quid mulctamus genas? quid maxillas plectimus?
C Cur veniam corvis damus, & cenſurâ premimus columbas? Oculi & aures, peccatorum illices, manus & pedes eorundem patratores puniantur. Non malum hoc, ſed melius iſtud: Maxillas eorum, maxillas conſtringe; faucibus frenum injice, os & gulam camo coërce, cibum ſubtrahe, ad famem adige.

*Pſal. 48. v. 13. & 21.*

*Pſal. 31. v. 9.*

*Ibidem.*

*Iſa. c. 1. v. 15.*

*Prov. c. 1. v. 16.*

Cōſtrictio maxillarū eſt remedium pluribus malis præceptum.

Voluit hîc ſapientiſſimus rex David unicum malis pluribus remedium præſcribere. Ita homini, in quo tam aures quàm oculi, tam manus quàm pedes exerraſſent, præcipit, ut genas & os ſupplicio afficiat; & membra omnia in poteſtate hominis futura. Iejuna, jejuna, teipſum abſtinentiâ vince, maxillas conſtringe, & noxas plurimas, morbos graviſſimos perſanâſti.

§. II.

MEmoriam hîc ſubit celeberrimus medicus Georgius Hübner, qui maxillis manduconum imperans: *Si ſanitatem ames*, inquit, *ne vores ut felis ambabus maxillis; ſed illud ſpectes ſemper, ut menſam deſeras appetentiâ nondum expletâ, ſtomacho nondum plenè ſaturato. Sic pota, ut ſitias; ſicede, ut eſurias.* Iſta igitur præceptio (*maxillas conſtringe*) inſtar millium eſt. Gulam & os edoma, & totum corpus domuiſti; gulam frena, & omnibus vitiis reſtitiſti; ſtringe genas, & contumaciam membrorum in ordinem redegiſti.

*Clariſſ. D. Georgius Hübner, cujus hæc ſunt aceptiſſima verba ſanitatis ... typis data.*

Quemadmodum verò cùm equo frenum injicitur, equi labor non impeditur: nam is etiamnum gradi, currere, portare, trahere, ſaltare poteſt, & quidem meliùs quàm infrenis: ita jejunium moderatum non tantùm non impedit hnmanas functiones, ſed ad obeundas illas efficit aptiorē. Homo ſobrius & abſtinens die uno plus operæ facit, quàm bibulus manduco duobus aut tribus. Deinde licet eques peritus calcaria, virgam aut flagrum habeat; licet equus ephippio elegātiſſimo inſtratus ſit, ſi tamen freno careat, regi non poterit: ſic

Iejunium moderatū reddit hominé aptiorem ad fūctiones humanas.

nemo ſatis moderabitur carni, qui eam non rexerit freno jejunii. Iejunium carnis exterſorium medicamentum.

Ciliciis aut flagris uti non eſt omnibus commodum; cibum ſubtrahere, parciùs comedere, non ſanis tantùm, ſed & ægris convenit. Et illis & iſtis ſaluberrimè præcipitur. Hoc viris ſanctis perſpectiſſimum fuit. Verùm cùm Sanctos nominamus, homines parum imitabiles proponere videmur. Erramus largiter. Sed ut tantò exactior, & magis varia abſtinentium idea in oculis ſit, homines eruditionis etiam profanæ inſpiciamus.

*Quatuor unà ſimul edita ſunt Patrarcha ſcripta in folio, claruit anno 1374.*

Franciſcus Petrarcha Hetruſcus, è plurimis & oppidò eruditis ſcriptis non ignotus auctor, tenui ac parabili victu miniméque lauto corpus aluit, nec ferè aliud menſa illius vidit, quàm diverſum pomi genus. Cùm annum ageret quadrageſimum, verecundiam ac caſtimoniam ſummæ curæ habuit, eo fine vinum non niſi dilutiſſimum bibit, ſæpiùs aquam; ſingulis hebdomadibus quater jejunavit, omni die Veneris præter modicum panis & aquæ nihil guſtavit. Nimirum noverat Patrarcha, *Hoc genus dæmoniorum non ejici niſi in oratione & jejunio*; abſtinentiam exterſorium carnis eſſe medicamentum.

*Matt. c. 17. v. 21.*

Ferdinandus I. Imperator, defunctâ conjuge, pientiſſimâ feminâ, ut torum viduum vitæ innocentiâ legitimè cuſtodiret, abſtinentiam elegit adjutricem. Itâ ſolùm ſibi prandium voluit eſſe permiſſum, cenâ in vitam reliquam abdicatâ. Cauſſam apponit ſcriptor: Vt carnis ſtimulos eò valentiùs poſſet reprimere. Illuſtriſſimum in tanto faſtigio exemplum. Quid ego, quid ſimiles mei, quid nos agimus mendiculi: Multiplici continentiâ præeunt tanti principes; num ſequi dedignamur? Num pudet imitari? Sequimur errantes, ſequamur & pœnitentes.

## §. III.

Sed nullum ſit abſtinentiæ ſpecimen, quod reſpiciat imitatio; exemplum Chriſti habemus, omnia habemus. Chriſtus victu ac veſtitu vitam ceteris non abſimilem egit, hominum conſortia non fugit, in conviviis accubuit. Hinc atrociſſimæ calumniæ illæ: *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Hæc fecit & tulit, ne ſuis exemplis imitationem noſtram terreret. Præter quadragintadiale jejunium, famem ac ſitim ſæpiſſime, aut potiùs continuè toleravit, noctes frequentiſſimè pervigilavit, aſſiduis itineribus ſeſe fatigavit; non ut virgineam & omnis labeculæ ignaram carnem edomaret, ſed ut agendi nobis ideam daret: perinde ſi diceret: A capite veſtro vos mea membra diſcite; ne grave vobis pati, quod & me paſſum cernitis. Eſurivi, ſitivi, vigilavi amore veſtri, & cunctamini etiamnum amore mei cibo, potui, ſomno aliquid ſubtrahere? Hæc carnis petulantiam frangunt; his medicamentis extergitur pravæ voluptatis tabes. Orandum, vigilandum, jejunandum.

*Matt. c. 11. v. 19.*

*Chriſtus nobis idea & exemplum fuit in tolerantiâ laborũ.*

Dominicam exhortationem iſtam docilis Paulus condiſcens: *Scio,* inquit, *& ſatiari, & eſurire; & abundare, & penuriam pati: omnia poſſum in eo, qui me confortat. Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus. In labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Et quorſum Paule hæc omnia? *ut & vita* IESV *manifeſtetur in corporibus noſtris.* Hoc agit Deus, ut qui ab beatam immortalitatem ſunt electi, conformes fiant imaginis filii Dei. Summa ſummarum; *qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* †

*Philip. c. 4. v. 11. & 13. 1. Cor. c. 4. v. 11. 2. Cor. c. 11. v. 27. 2. Cor. c. 4. v. 10.*

*Latinũ cenſo; ſubſtringe tri. ſin Lector.*

*† Gal. c. 5. v. 24.*

Reverà ſi abigendus ſit canis, non carnes ei, ſed lapides aut echinata clava eſt monſtranda: ſi olla bulliat, ignis ſubducendus, aut illa amovenda: ſi equus ferociat, pabulum minuendum; ſi caro inſoleſcat, jejunium ingerendum; abſtinentia illam & fames cicurabit. Ambroſianum metrum eſt:

*Carnis terat ſuperbiam*
*Potûs cibique parcitas.*

Sed hem quid hoc monſtri dicam, carnis ſuperbiam? Superbia non carnis, ſed mentis eſt vitium. Ajo: Si ancilla dominæ velit imperare, ſi mediaſtinus aut atrienſis famulus herum cogat obſequi fædum ac turpe imperium; & hæc illa carnis ſuperbia eſt. Idcirco Paulus tam perverſum ordinem formidans: *Caſtigo,* inquit, *corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* Videte Paulum è cælo vocatum, in tertiam & ſupremam cæli contignationem raptum, laboribus exhauſtum, plagis & carceribus emaciatum, hominem ſanctiſſimum, nihilominus metuentem ne caro inſoleſcat, nihilominus vociferantem: *Caſtigo corpus meum.* Ambroſius & Chryſoſtomus affirmant hanc caſtigationem fuiſſe jejunium. Si medicus tam celebris & peritus pharmacum, quod ſumendum dictat, ipſe prior ſumat, probatiſſimum illud & explorati effectûs eſſe non malè ominamur. Iejunium Paulo & corporis caſtigatio medicina fuit: quid horremus pharmacum, quod ipſe ſumpſit medicus? ſi medendi methodus ſit, de quâ affirmari poſſit: Hoc dicit Hippocrates, hoc Galenus, hoc Avicenna: hoc è recentioribus probat Mermannus, hoc Menzelius, hoc Fuxius, hoc Gobelius, medicamentum illuſtre ac omnis erroris expers, ſecurúmque creditur. Ita hîc ratiocinemur: Carnem jejunio extergendam à vitiis dicit Chriſtus, dicit Petrus & Paulus, dicunt omnes Apoſtoli, omnes priſci Patres. Imò verò etiam hoc medicamento Chriſtus ipſe eſt uſus, hoc Petrus & Paulus, hoc Apoſtoli, hoc omnes Sancti ſunt uſi.

*1. Cor. c. 9. v. 27.*

*Sereniſſimi Bavariæ Ducum medici defuncti, quos laudare fas eſt.*

Pauculos hoc etiam loco in ſpecimen nominemus. Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus quamvis in tam ſublime ſolium evectus eſſet, vix tamen re ullâ magis oblectabatur quàm frugali ac ſobriâ ſine arte menſa. Hinc crebriùs ſpreto ferculorum omni delectu, ſolâ frigidâ & pane cibario charis ſibi ac ſalubribus deliciis victitavit. Rogatus abſtinentiæ tam inſolitæ cauſſam: Quia, inquiebat, curæ mihi non eſt ſaginare corpus, ſed ſuſtentare. Ideo cibavit eum Dominus pane vitæ & intellectûs, & aquâ ſapientiæ ſalutaris potavit illum.

*Osbertus & alii in ejus vitâ.*

Hoc egerunt viri ſolidam abſtinentiam docti; id ſibi minimè conceſſerunt, quod maximè appeterent. Hellen Abbas ingenti mellis ſorbendi appetentiâ inarſerat. Et, quod alii fortunam bonam fuiſſent interpretati, præter opinionem favos reperit. At ille ſuimet potens victor, huic mellariæ gulæ frenos injiciens: Abi, ajebat, abi cupiditas maligna, non fruêris pabulo, quod inhias. In hujus verò appetitûs pœnam, trium hebdomadum jejunia ſibimet imperavit. Cúmque huc illuc varii generis ſparſa poma cerneret, cacodæmonis fallacias ſubodoratus: Non decipies, ajebat, non decipies, veterator, artis tuæ gnarum. Nec tangam quidem has tendiculas, hæc retia eſcaria. Scriptum eſt: *Non in ſolo pane vivit homo.* Non ignorabat vir ſanctus, quantæ virtutis, quanti & præmii eſſet tam avidè cupitis genium fraudare.

*Ruffin. Aquil. l. 2. c. 11. Pallad. c. 59.*

*Matt. c. 4. v. 4.*

Huic jungendum quod Petrus Damianus memorat: Quidam Epiſcopus, inquit, piſcem †, quem avidiùs appetierat, à coco ſibi parari juſſerat, interim ipſe ſacris operaturus. At dum aræ adſtat, & rem divinam patrat, en illecebroſa piſcis memoria plurimo ſed vaniſſimo cogitatu animum titillat, avocátque à cœptis myſteriis. At Præſul, uti erat optimæ mentis, erubuit ſub oculis Dei omnia cernentis inquinari tam guloſis curis. Mox igitur peractâ re divinâ, jámque loco digreſſus, & ad famulum verſus: Piſcem, inquit, menſæ meæ paratum jube illi noto pauperi quamprimùm

*Petrus Damian. to. 5. l. 1. epiſt. ep. 10. ad Alexandrum Pontif. &c. mihi p. 21.*

*† Naupredam; Italis Lampreda.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

mùm dari. Illuſtre ſpecimen abſtinentiæ. Ita profectò, inquit Damianus, canicula voluptatis, quæ vivere potuiſſet ſub menſâ corporis, quia impudenter in ſancta ſanctorum irruit, pœnitentiæ ac abſtinentiæ fuſte mactata eſt.

*Petrus Damian. to. 2. in vitâ S. Romualdi c. 52. mihi pag. 242.*

Nec tantùm has tales aliorum victorias narravit Damianus, ſed ſeipſum hac ipsâ luctâ præclariſſimè vicit. Nam præter quotidiana jejunii & abſtinentiæ argumenta, illud in tanto viro ſingulariter obſervandum. Toto quadragintadiali jejunio nil umquam igne coctum comêdit, ſolis contentus pomis, quæ ipſe & in cibum & in potum adhibuit. Ob nimiam verò imbecillitatem ſtomachi demum coactus eſt aliquid madefacti leguminis admittere. Atque hoc fecit exemplo divi Romualdi motus, quem pro viribus imitari ſtuduit: cujus & res geſtas ſcripſit, in his & illud de gulæ victoriâ obſervatione præcipuâ narrans: Iubebat Romualdus, ait, illud cibi genus, quo ſe ſingulariùs ſentiebat affici, cum curâ parari; allatum verò naribus & ori admovens: O gula, gula, inquiebat, quàm ſuave hoc edulium eſt, quàm illud tibi ſaperet? ſed væ tibi, nec miculam quidem ex eo guſtabis. Ita intactum remittere ſolebat ad cocum.

Caro Rationis famula, vile mancipium eſt, cujus nequitias & fraudes nemo umquam correxerit indulgentiâ. Abſtinenter illud & duriter habendum, inediâ & fame coërcendum. Fuit qui carnis contumaciam in ſeipſo experiretur. Interrogavit is Ægidium Franciſci Aſſiſiatis ſocium, quo ſibi antidoto adverſus hoc morbi genus utendum arbitraretur. Cui Ægidius: Mi frater, inquit, quid faceres, ſi te moloſſus è ruſticanâ casâ proruens inceſſeret? Lapide, ait, alter, aut fuſte illum peterem, ut in fugam averterem. Ita, inquit Ægidius, agendum cum carne ſi ea incipiat laſcivire, aut rationis imperium detrectare: Pete eam lapide contritionis & pœnitentiæ, fuſte abſtinentiæ illam contunde; & habebis obſequentem. Certè hoc belluæ genus non aliis artibus cicurari poteſt.

Gula, contumax & rebellis ſemper bellua in vetitum ruere non ceſſat, niſi aſſiduis, ita loquar, mortificationibus coërceatur. Florentinus princeps Laurentius Medices cùm fatali lectulo decumberet, omnem, ut fit, edendi appetentiam amiſit. Allatis in cenulam lectiſſimis eduliis interrogatus; & quînam cibus ſaperet? Hoc unum reſpondit: Vt ſolet morienti. Perinde ſi dixiſſet: In rebus humanis nihil illi reliquum eſt dulcedinis aut ſolatii, qui ſentit ſe moriturum. Ita igitur quotidianis abſtinentiis frangenda eſt gula, ut ſentiat ſe mori. Aliàs illa nimirum vivax in rationem numquam non erit contumelioſa. Lingit, catillat, ſorbet, haurit, abligurit tamdiu, dum ſeveris & quidem aſſiduis abſtinentiæ præceptis enervetur.

*Angelus Politianus in epiſt.*

*Greg. l. 3. Dialog. c. 33. Zach. Lippeloo to. 3. die 7. Septemb.*

Vtinam ſit Thaumaturgus aliquis Eleutherius, qui abſtinendi & jejunandi gratiam nobis impetret, quam ſibi ab illo impetratam, Gregorius Magnus non ſcriptis tantùm, ſed & picturis voluit teſtari. E ſtomacho Gregorius adeò laborabat, ut animi defectio cibum poſceret ipſo Paſchatis pervigilio. Grave videbatur Gregorio eâ die, quam & parvuli jejuniis venerantur, non poſſe cibis abſtinere. Ita mœrore magis quàm morbo deficiens acceſſit Eleutherium, rogavitque grandi fiduciâ vires ſibi à Deo impetraret, ad diem illum inediâ exigendum. Eleutherius exorari ſe paſſus mox in genua procubuit, & manibus cælo elatis, ſtillantibúſque oculis, precatus eſt Deum vires ad tolerandum jejunium tantopere deſideranti non negaret. Annuit Deus Nam continuò Gregorius illud ſtomachi robur perſenſit, quo vel biduanam inediam ferre non recusâſſet.

O mi Deus, ſuffice vires noſtræ abſtinentiæ, ſed ante omnia rebellem voluntatem noſtram impelle, ut, quam plerumque averſatur abſtinentiam, amplecti velit. Hoc opus, hic labor eſt. Tolerare moderatam inediam facillimè poſſemus, modò vellemus. Sed quia nolumus, ideo frequenter frigidiſſimum illud auditur: Non poſſumus. Da bone IESV, quod jubes, & jube, quod vis.

Ergo bonum, ergo tutiſſimum & optimum medicamentum eſt jejunium: Plurimi ac graviſſimi morbi aliter non curantur. Medicorum princeps affirmatiſſimè dixit: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi in oratione & jejunio.* Ergo *beati qui nunc eſuriunt, quia ſaturabuntur.*

*Matt. c. 17. v. 21. Idem. c. 5. v. 6.*

## CAPVT XIII.

### *Iejunium omnigenæ virtutis adjumentum optimum.*

POMVM punicum, nobiliſſimum pomum, fructus excellentiſſimus, licet corticis ſicci & aſperi ſit: in hoc rubicundula ſucci plena granula certo miróque ordine in ſuis caveolis diſpoſita, velut in præſidio jacent. Illud hîc magis mirandum. Minus pomum non habet pauciora grana quàm grandius ſed minora, & magnum minore non habet plura ſed grandiora. Ita omne malum punicum quadringenta ſexaginta quatuor grana continet. Parvum, ſed dives ærarium, præſertim ægris, ac ſitibundis.

*Malû pomatum vocant.*

Huic malo non malè comparem Iejunium aſpectu aſperum, ſi corticem ſpectes, & ſiccitate inamœnum; ſed rimare, & theſaurum invenies. Iejunii fructus plurimi, præſtantiſſimi, ſed latentes: erue, & guſta; ſuavitatem ſenties poſt amarorem minimè diuturnum.

Cur jejunandum ſit, cauſſas complures aſſignavimus, adjungimus & iſtam; Iejunium virtutibus omnibus & adjumento eſt & augmento. Hoc, uti priora cetera, more noſtro luculentiùs ſub oculos ponemus.

### §. I.

ECcleſiæ lumen Hieronymus, cùm Zachariam prophetam interpretaretur, accuratiſſimè obſervans: Poſt templum Hieroſolymis denuò reſtauratum, populus ſenatui ſacerdotum hanc quæſtionem poſuit: *Numquid flendum eſt mihi in quinto menſe, vel ſanctificare me debeo, ſicut jam feci multis annis?* Quærit plebs Solymæa, num adhuc jejunii legibus ſtringatur, quibus olim ſtringebatur: *Num ſanctificare me debeo? Iejunare,* inquit Hieronymus, *eſt ſeipſum ſanctificare, quia jejunium eſt ſanctificatio ad recipienda Dei munera.* Hinc Baſilius compendio: *Iejunium,* inquit, *eſt theſaurus à quo virtutes promuntur univerſæ.*

*Hiero. in c. 7. Zacharia.*

Bernardus die Naſcentis Chriſti Domini ore liberrimo: *Aut iſte,* inquit, *fallitur, aut mundus errat. Chriſtus elegit, quod ſalubrius judicavit; vos eligitis, quod ille reprobavit. Quid ergo? Chriſtus, qui non fallitur, elegit, quod carni moleſtius fuit: id ergo melius, id utilius, id potiùs eligendum: & quiſquis aliud doceat vel ſuadeat, ab eo tamquam à ſeductore cauendum.*

*Bernard. ſerm. 3. de Nat. Chriſti mihi p. ...*

Hîc ſumma rei, hîc operis cardo vertitur. Hoc autem mundus non capit; non vult intelligere, ut bene agat. Salubria, ſi ſint amariuſcula, rejicit, moleſta carni cane pejùs & angue odit, jejunium ut grande malum fugit. Erras munde, & erras ab oſtio; erras, ô munde, toto cælo erras. Nam Chriſtus non fallitur, qui calices ingerit amariores, ſed ſalubres, qui jejunium concionum ſuarum voluit eſſe principium.

Quod Gregorius Nyſſenus conſiderans: *Iejunium,* inquit, *virtutis fundamentum eſt: Si nolumus jacere fundamentum, numquam ſurget ædificium; ruente fundamento tota ruit impoſita moles.* Rem hîc miriſſimam examinemus.

Quis,

Quis, obſecro, primus Hieroſolymorum mœnia dejecit? quis urbem vaſtavit, exuſſit, evertit? Nabuchodonoſor, putamus. Hæc juſſu ipſius facta. Quis autem admolitus eſt manum? quis arietem incuſſit, quis muros inſcendit, quis urbem occupavit? Dictu fœdum, unicus homo Si Goliathus aliquis, aut de genere gigantum id feciſſet, nil adeò miri aut novi fuiſſet. Quis igitur homo ille unicus, quis fuit? Cocus.

Teſtantur Regum faſti his ipſis verbis: *Venit Nabuzardan princeps exercitûs, ſervus regis Babylonis in Hieruſalem. Et ſuccendit domum regis, & domos Hieruſalem: omnémque domum igni, & muros Hieruſalem in circuitu deſtruxit.* Quis auſus hæc talia? Cocus unicus, ſeu, princeps cocorum. Nam ſeptuaginta Interpretes, & cum eis Chryſoſtomus, Nabuzardan ſemper cocorum principem appellant, uti ſæpius notat Gregorius. Ita cocorum princeps Hieroſolymis tantas calamitates & clades invexit. Nec aliter hodiéque pugnatur: Tot centena millia hominum quotidie in extremam perniciem dantur à ſolo Nabuzardan. Cellarius & Cocus innumeris hominibus pecuniam rapiunt & vitam, & quos culina non ſepelit, ſepelit cella. Comeſſando, aut certè abundantiùs prandendo & cenando, iſte quidem crumenam perdit, hic tempus, ille famam, innumeri valetudinem & vitam, plurimi cęlum & æternam gloriam. Infinitos depauperat, innumeros jugulat Nabuzardan. Atqui (ait interpres Siracidæ) non minùs homicidæ ſunt, qui proprium corpus, quod eſt opus & domicilium Dei, & organum actionum divinarum, crapulâ vel ingluvie corrumpunt & extingunt, quàm qui aliorum corporibus violentas manus inferunt. Vbi gula, ibi virtus nulla. Ideo præcipit Imitatio Chriſti: *Frena gulam, & omnia vitia faciliùs domabis.* Vince cocorum principem Nabuzardan, & hoſtes tuos omnes feliciùs ſuperabis. Non errat vetus metrũ:

*4. Reg. cap. 25. v. 8. 9. & 10.*
*Ioan. Manſius tom. 2. Locorum communium ad præcept. ſept. mihi pag. 220. poſt damnatã ingluviem & voracitatẽ hæc ipſiſſima ſubjungit verba. Illa, prô dolor! paſſim in mundo ſunt. Ex tripode oraculum.*
*l. 1. de Imit. Chriſti c. 19. n. 4.*

*Veteres Trochaici.*

*Abſtinentia opitulatur omnibus virtutibus.*
*Flagitia interdicit omnia, qui indicit jejunia.*

Beatus Maximus Taurinenſis Epiſcopus, ad rem præclarè de jejunio: *Murus quidam eſt*, inquit, *Chriſtiano jejunium, inexpugnabilis diabolo, intranſgreſſibilis inimico. Quis enim umquam Chriſtianorum jejunavit, & captus eſt? Vnde & nos, fratres, temporum anguſtias ſuſtinentes, omnes pariter jejunare debemus & miſericordiam Dei cunctorum abſtinentiâ implorare. Quid enim hoc? Chriſtianum pro ſuâ non facere, quod pecudes pro hominum ſalute fecerunt in Ninive? Stolidior pecude eſt, qui indicto à ſacerdote jejunio, non jejunat. Pecus, quam videt, declinat foveam, cavet præcipitia; tu autem non vis jejunando periculum declinare, quod cernis. Deſperationis genus eſt, tunc manducare cùm debeas jejunare.* Virtutem non amat, qui jejunium odit. Nulla virtus eſt, quam non plurimùm juvet jejunium. Iejunium pæne illa Domini verba ſibi uſurpet: *Sine me nihil poteſtis facere.* Ægrotat quis? jejunet. Febrit? tunc maximè jejunet. A carne vellicatur? jejunet quantùm poteſt. Ab hominibus impugnatur? jejunet. Cupit à Deo impetrare quidpiam? jejunet. Vitium aliquod conatur extirpare? jejunet. Pro noxis vult ſatisfacere? jejunet. Spiritui carnem nititur ſubjicere? ſeriò jejunet. *Bona eſt oratio, ſed cum jejunio.*

*S. Maxim. hom. de Litaniis & jejuniis Ninivitarum, mihi pag. 162.*
*Ioan. c. 15. v. 5.*
*Tob. c. 12. v. 8.*

## §. II.

*Virtutum & vitiorũ ea eſt ratio, quæ mercimoniorum.*

VIrtutum & vitiorum ea eſt ratio, quæ eſt mercimoniorum: de quibus illud in philoſophorum ſcholis decantatiſſimum ſæpius uſurpandum: Vnius corruptio eſt alterius generatio. Exempli gratiâ: Olim linum goſſipinum erat uſitatiſſimum; cui minorum gentium non thorax inde factus? vix ſatis textorum fuit, qui goſſipium in pannum cogerent. Nunc xylinum hoc linum exolevit, pro eo corium & ſericum tantò crebrioris usûs eſt. Ita prorſus quantò plus vitiis decedit, tantò plus additur virtutibus. Corruptio & abolitio vitiorum, generatio virtutum eſt. Gula & Luxuria affinitate primâ ſibi junctæ ſunt: quantò plus iſtis adimitur, tantò plus accreſcit Temperantiæ ac Pudicitiæ. Gulam & luxuriam in te jugula; & ad vitam virtutes maximas excitâſti. Cognatis illis vitiis quàm potes, acerrimè reſiſte, & virtuti grande incrementum adjeciſti. Comico, virtutis eſt conclave Temperantia.

*Seu xylinum.*

Sapienter & congruè inſtituto dixit Salomon: *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis.* Dum vivimus, tametſi ſanctè vivamus, aliquid vitioſi fomitis in nobis identidem gliſcit: velut ſopito jam grandi incendio, tamen adhuc per aliquot dies abditæ vivunt favillæ: ita in nobis numquam deſunt vitiorum igniculi, qui variè ſeſe produnt: nam modò igneſcit ira, modò invidia; jam luxuria, jam ſuperbia latens in flammam conſurgit. Huc aquam citò, huc aquam & gliſcentem ignem extingue.

*Prov. c. 26. v. 20.*

*Subtrahe ligna foco, ſi vis extinguere flammam.*

Commodiſſimè ſubtrahit jejunium & abſtinentia. Hieronymus ad rem appoſitè priſcum illud uſurpans: *Sine Cerere*, inquit, *& Libero friget Venus.* Quò Nabuzardan non penetrat, eò plerumque nec pervenit Libido. Vbi crebra fames & abſtinentia, ibi rara eſt voluptas impura. Inexpugnabilis murus jejunium. Ingluvies ventris & Nabuzardan devaſtant omnia. Quod Ezechiel apertiſſimè teſtatus: *Ecce*, inquit, *hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Videte, obſecro, quas periodos & quàm pulchrè nexas habeant hæ choreæ. Præſultrix vitiorum omnium *Superbia*. Primæ poſt præſultricem procurſant ordine ornatiſſimæ puellæ *Saturitas & Abundantia*, medium his Nabuzardan ſe infert. Lautè comedere, largiter obbibere, affatim dormire, vitiis inſigniter applaudunt. Secundo loco ſequitur monſtrum molliſſimè veſtitum, *Otium*. Plenus venter nec orat, nec vigilat, nec laborat libenter. Tertia ſaltatricula, *eleemoſynæ Parcitas*. Nam plerumque in veſtes & in menſam tam prodigi, in eleemoſynas parci ſunt. Ita ſuperbiam ſaturitas, ſaturitatem abundantia, abundantiam otioſitas, otioſitatem comitatur immiſericordia. Hæc fuit iniquitas Sodomæ. Hoc Sodomam & Gomorrham, hoc Adama, Seboim, & Segor, hoc Hieruſalem expugnavit & evertit. Rerum abundantia, pabuli copia, culina ſemper ructans & plena; Nabuzardan cum agmine ſuo devaſtat & peſſundat omnia. Exitium viciniſſimum eſt; ubi nihil abſtinentiæ eſt.

*Hiero. l. 2. contra Iovinian. fine.*
*Ezech. c. 16. v. 49.*
*Segor poſt Lothi ex eâ abitum everſa.*

Serpens nil æquè horret ac ſputum hominis jejuni, ollam bulliente aquâ plenam non ita fugit, atque matutinam hominis ſalivam. Orcinus coluber nil ſperat victoriæ, ubi congrediendum eſt cum homine ſobrio & jejuno. Hunc timet, ab hoc vincitur facillimè. Id clarè Baſilius affirmans: *Iejunium*, inquit, *contra exercitum dæmonum dat arma.* Cui accinens Hieronymus: *Pulchra res eſt*, inquit, *jejunium, quod etiam dæmones terret.* Sic alii ordine Patres loquuntur. Auguſtinus ex omni numero priſcorum Patrum tam ſuccinctè quàm verè ac nervosè: *Nullus*, inquit, *ſine jejunio vicit diabolum.* Ergo abſtinere, eſt diabolum vincere. Cacodæmon nihil ſibi metuit, & ad pugnandum alacerrimus eſt, cùm habet adverſarium jejunii & abſtinentiæ ignarum.

*Baſil. ho. 1. de jejunio. Hieron. l. 2. contra Iovinianum. Aug. l. 4. Hypognoſticôn contra Pelag. poſt init.*

Philibertus Abbas vir eximiæ virtutis abſtinentiam exactam ſibi ſæpiùs indixit. Sed, quod humanæ fragilitatis eſt, ſubinde non obſervavit, tunc præcipuè, cùm hoſpites ſuos amantiùs excipiens, humanitati tantum tribuit, ut indictæ legis aliquantulum oblivíſci vellet. Hîc optimus vir ſenſit dextram hominis, quem non vidit, ventri ſuo non ſine cachinno incuti, hac additâ voce: *Modò hîc bene, modò hîc bene.* Irriſit hoſtis, annuente Deo, lautiuſculam cenam Philiberti, perinde ſi ex-

ſi exprobrâſſet illi ; Philiberte Abbas, tam ſuaviter decreti tui es immemor ? Videte virum ſanctum, qui cuticulâ bene curatâ jam orare, jam legere, jam cantare inſigniter poteſt. Nimirum Philibertus ventrem ſuum *frumento ac vino ſtabilivit* (ut Iſaacus Iacob filium) & ultrà quod faciat, niſi ut in utramque aurem dormiat rerum omnium ſecurus? Dormi, Philiberte, Abbas ſanctiſſime ; Nabuzardan arcem tuam invaſit, cepit, occupavit.

*Gen. c. 27. v. 37.*

Hæ hoſtis exprobrationes ſunt poſt abſtinentiæ leges leviuſculè violatas : quem aget ſatanas triumphum de ijs, qui jurati jejuniorum hoſtes in abſtinentiæ jura peccant audaciſſimè, qui raro ſobrii, numquam jejuni, liberaliter Deo ventri ſacrificant, virtutum omnium inanes?

## §. III.

*Hieron. ad Demetriad. Leo ſerm. 2. de jejunio. Chryſ. to. 1. ho. 1. in c. 1. Geneſ. pag. 2.*

IEjunium, inquit Hieronymus, *non ſolùm perfecta virtus, ſed ceterarum virtutum fundamentum eſt & ſanctificatio.* Huic beatus Leo ſubſcribens : *Semper*, ait, *virtutis cibus fuit jejunium.* Nec Chryſoſtomus aliter ſentiens: *Iejunium*, inquit, *ſchola precum, animæ cibus, oris frenum. Iejunium animæ noſtræ alimentum eſt: & ſicut corporalis iſte cibus impinguat corpus, ita & Iejunium animam habitiorem efficit & valentiorem. Leves ei pennas producit, ut in ſublime feratur, & ſumma contemplari queat. Vellem ergo vos purificatâ mente, valéque deliciis & voracitati dicto, matrem omnium bonorum & pudicitiæ, aliarúmque virtutum omnium magiſtram, jejunium, inquam, explicitis veſtræ mentis ſinubus ſuſcipere.*

**Cur jejunandũ ſit,**

Quare jejunandum ſit, complures hactenus cauſſas percenſuimus, nominatim iſtas :

1. Iejunium ſervandæ aut reparandæ valetudini, producendæ vitæ pharmacum præſtantiſſimum, optimum.
2. Iejunium ciborum omnium condimentum.
3. Temporis, opum, nominis auctarium.
4. Exercitiorum ſpiritualium maximum adjumentum.
5. Pro commiſſis peccatis ampla ſatisfactio.
6. Hominum à paradiſo exulantium ſtatui convenientiſſimum.
7. Omnium ſanctorum hominum exemplis confirmatum.
8. Exterſorium carnis medicamentum.
9. Virtutum omnium incrementum. Addo.
10. Iejunium, Dei, Naturæ ac Eccleſiæ præceptũ.

Primum inde liquet. In lege priſcâ præcepit Deus, ſtatis menſibus ac diebus genium fraudarent: *Affligetis animas veſtras.* In novâ lege jejunii modum doceri voluit per Filium, cujus hæc verba ſunt : *Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes. Venient dies & auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.*

*1. Liquet ex priſcâ lege: Levit. c. 16. v. 29. Iſa. c. 58. v. 3. & ſeqq. Matth. c. 6. v. 16. Marci c. 2. v. 20.*

Iejunii neceſſitatem explicans Chryſoſtomus: *Propterea*, inquit, *& Deus hominem à principio faciens, illicò frenum ei jejunii manibus impoſuit, veluti piæ amabilique matri & magiſtro optimo committens. Si in paradiſo jejunium neceſſarium fuit, extra paradiſum multò magis erit. Si ante plagam utilis medicina fuerat, multò magis poſt plagam. Si necdum bello voluptatum inſurgente nobis arma fuerant opportuna, multò magis poſt voluptatum vitiorúmque prælium à dæmonibus nobis illatum. Igitur neceſſaria nobis ſunt à jejunio auxilia. Vidiſti quomodo iraſcitur Deus jejunio ſpreto? Diſce & quomodo lætatur jejunio honorato. Quemadmodum enim jejunio ſpreto mortem ſpernenti obtulit, ſic iterum eodem honorato à morte revocavit.*

*Chryſ. to. 1. hom. 1. de pœnit. mihi pag. 713.*

Ioanni Chryſoſtomo hîc Petrus Chryſologus jungendus : *Videtis fratres*, inquit, *quia, quòd Quadrageſimam jejunamus, non eſt humana inventio ; auctoritas eſt divina ; & eſt myſticum, non præſumptum ; nec eſt de terreno uſu, ſed de cæleſtibus ſecretis.*

*Chryſol. ſer. 1. mihi pag. 34.*

Alterum inde conſtat de naturæ præcepto. Ea quandoque carnis blandimenta, illæ dæmonis ſuggeſtiones, illa peccandi pericula urgent, ut modus vix appareat evadendi : Tunc, ajunt Theologi, naturæ lege obligamur, jejuniis, ſimilíve armaturâ reſiſtere peccatis. De animi ſalute agitur; luctandum eſt, & cælum vi rapiendum.

*2. Ex naturæ præcepto.*

Tertium de præcepto Eccleſiæ nil habet dubii. Domini voces non ignoramus. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Hieronymus hîc ſuaviter erudiens : *Vnaquæque provincia*, inquit, *abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum leges Apoſtolicas interpretetur.* Theologorum princeps Thomas Aquinas ad quæſtionem. Vtrùm jejunium ſit præceptum ? ita reſpondet : *Conveniens fuit ut humanis legibus ac divinis præcepta de jejunio, & illius obſervatione darentur.* Theologorum omnium effatum eſt. *Quadrageſimalis jejunii legem omnibus nationibus omnibúſque ſæculis fuiſſe conſtitutam.* Sapiamus cum priſcis, ſentiamus cum majoribus, cum Chriſto & diſcipulis Chriſti jejunium & abſtinentiam amplectamur. Tolerabilem ac brevem inediam æterna comitabitur ſatietas.

*3. Ex præcepto Eccleſiæ. Matt. c. 18. v. 17. Hieron. in epiſt. ad Lucinium circa fin. S. Tho. 2. 2. quæſt. 147. art. 3. Lemanius Leſſ. de iuſt. & jure. Paulus Layman Theol. mor. lib. 4. tract. 8. c. 1. n. 7.*

ALOE

# ALOE
## AMARI SED SALVBRIS SVCCI
# IEIVNIVM.
## LIBER SECVNDVS.
### QVOMODO ET, QVO FRVCTV IEIVNANDVM.

### CAPVT I.

*Quos jejunii leges habeant eximios.*

*Ælian. l. 7. de animal. c. 42. mihi pag. 455.*

THALES Mileſius, quod Ælianus narrat, mulum habuit, qui pæne ſupra mulum ſapuit, ſed ſuómet aſtu ab hero ſuo deceptus, ac punitus eſt. Cùm enim mulus ſale onuſtus flumen vadaret, in flumine tamquam moli ſuccumbens ſponte cecidit, ut ſale liquefacto in aquis levior exurgeret. E voto beſtiæ res cecidit. Sal muli lapſu maximam partem in aquas abiit, mulus onere dempto alacer ſurrexit, &, qui pecudum ſenſus eſt, commodiſſimum ſibi fore putavit, ſi ſæpiùs in aquâ collaberetur. Advertit Thales ingenium burdonis, atque ut aſtus eluderetur astu, ſpongiis & lanâ pecudem onerari juſſit. Mulus callidam heri prudentiam ignorans, & in reliquum tempus fortunam ſibi jam magiſtram ſtatuens, ad flumen redit, init, corruit, arbitratus omnia ut priùs ſucceſſura: Cùm autem lana & ſpongiæ aquam combibentes nimium quantum auxiſſent onus, miſerum pecus aſtutiam in detrimentum ſibi verſam ſenſit. Ab eo tempore mulus aquas ingreſſus modeſtiſsimè tranſiit, nec umquam ampliùs cecidit, & ità ſalem illæſum, quò agebatur, pervexit.

*Rupertus in c. 19. Gen.*

Rupertus ſcriptor vetus: *Sal*, inquit, *condimentum peccatorum*; & quemadmodum animalibus ſalis petram lingentibus edendi aviditas reparatur, ita peccantibus rerum cæleſtium ſenſus per mortificationem carnis reſtituitur. Aroma nobile, ſal pretioſus, condimentum ſalubre, tam corpori quàm animo jejunium. Aliquid mordacitatis & acrimoniæ habet ſal iſte, ſed ſaluberrimæ. Caro quidem velut vaferrima mula hanc ſalis molem modis omnibus averſatur, & mille aſtus excogitat, ut onus hoc abjiciat. Nec ſine ſubdolis argumentis eſt hæc beſtia; ita queritur: Iejunium & abſtinentia me ſolam feriunt, animus non eſurit, inediam non ſentit, non maciem, non pallorem contrahit; in me unam hæc mala omnia incurrunt. Et ut querula hæc burdonis aſtutia ſuos habeat colores, ita loquitur caro: Si laborare cogar, jejunare non poſſum; ætas, morbi, debilitas, inſomnia non ferunt inediam: caput dolet, ſtomachus flacceſcit, ſomnus fugit, genua franguntur, cùm jejunandum eſt: jejunium onus maximum.

Iejunium eſt aroma nobile tã corpori quàm animo.

Ita omnia tentat caro, & mille fallendi modos A comminiſcitur; ægram ſe ſubinde ſimulat, modò jejunii neceſsitatem effugiat. Sed fatuum pecus non cogitat Chriſti minas: *Væ vobis qui ſaturati eſtis*. Effugere vultis famem? incidetis. Aſtutia vertetur in detrimentum. Prudens animus, velut Thales philoſophus, jumentum ſuum erudit & hortatur: Quid agis aſine? maximum tibi malum acceſſis; ſatius eſt modicam nunc ferre inediam, & epulari æternùm, quàm modò famem fallere, & æternùm eſurire. Quò magis reſiſtis, mule, hoc magis oneraberis. Submergis ſalem? ſpongiæ te ſubmergent: jejunandum eſt, velis, nolis, jejunandum eſt. Elige; pauculas malis diecųlas, an verò æternos eſurire annos. Ita ſerius Thales cum ſuo agit jumento, & jejunium non tam ſuadet quàm imperat.

*Luc. c. 6. v. 25.*

Præſtat modicum ferre ine-diã, quàm æternùm eſurire.

Parte primâ Libri docuimus, *Quare jejunandum ſit*; B ſequitur pars altera, *Quomodo ſit jejunandum*. Hîc diverſa veniunt diſceptanda. Primum eſt, Quis à jejunii legibus immunis & eximius ſit. De iſto capite jam diſſerendum.

### §. I.

ECcleſia in ſuos minimè rigida noverca, ſed planè pia mater, non imperat jejunium, ut olim rex Ninive Manliano imperio edixit: *Homines & jumenta, juvenes, ſenes, lactentes & parvuli, pauperes & opulenti, ſoſpites & ægroti non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant*. Mitiores ſunt Eccleſiæ juſſiones; nam eos ſolùm ſpectant, quibus facultas & vires ſunt.

*Ionæ c. 3. v. 7.*

Anno Chriſtiano milleſimo trecenteſimo decimo, Clemente V. Pontifice ſummo hæreſis Begardorum docuit, poſſe hominem ad eam perfectionem progredi, ut à noxis omnibus immunis & tutus, nec orare C ampliùs nec jejunare debeat. Damnatus error à Concilio Viennenſi primo.

Quamdiu mortales in orbe hoc agimus, diſcipuli ſumus, quotidie diſcere, ſemper proficere, & numquam ab omnibus omnino peccatis liberi eſſe poſſumus. Diſcendum aſſiduè & proficiendum. Hinc optimi quique viri quò perfectiores erant, tantò contentiùs orabant, tantò ſeveriùs jejunabant. In quo numero ponendi Ioannes Baptiſta, diſcipuli Chriſti, ſanctiſſimi Epiſcopi, Anachoretæ plurimi, Religioſorum Ordinum auctores. Nec enim ullius hominis virtus eò in hac vitâ progreditur, ut non poſſit & debeat *plus ultrà*. Quod beatus Leo atteſtatus: *Adeſt maximum*, inquit, *ſacratiſſimúmque jejunium, quod obſervantiam ſui univerſis fidelibus ſine exceptione denuntiat: quia nemo tam ſanctus*

*Leo ſer. 11. de Quadrag.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*ctus eſt, ut non ſanctior ; nemo tam devotus eſt, ut non debeat* A *eſſe devotior.* Prout jam olim Apocalypticus Angelus proclamavit : *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc : & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Vitæ integritas & ſanctimonia neminem ab oratione atque jejunio jubet eſſe eximium. Verùm à Theologis alia deſignantur quatuor capita, quæ à legibus jejunii abſolvunt. 1. Ætas. 2. Labor. 3. Infirmitas. 4. Impotentia. Paucis ſingula exponimus.

*Apoc. ult. v. 11.*

Quatuor capita quę à legibus jejunii abſolvunt.

1. Ætas. Primo *Ætas* à jejuniorum lege liberat. Thomas Aquinas ceterique Theologi jejunii legibus non obligari eos affirmant, qui annum ætatis vigeſimum primum necdum expleverint. Miremur forſan non annum vigeſimum potiùs, quàm vigeſimum primum locatum eſſe terminum. Rationem damus. Eccleſia ſeptennium triplex attendit, infantis, adoleſcentis, juvenis : triplici hoc ſeptennio plus cibi permittitur non alendo tantùm ſed & augendo corpori. Sed ſapienter Thomas Aquinas, & unà cum illo Theologi juvenes, cùm je- B junium vernum initur, inducendos, ut quavis hebdomade bis terve jejunent. Cauſſæ ſunt. 1. Sic enim abſtinentiæ aſſueſcunt : nam anno vigeſimo primo numquam aut rariſſimè, mox ſequenti vigeſimo ſecundo quotidie cogi jejunare durum ac difficile.

Cur adoleſcentes inducendi ſunt ut bis terve in hebdomade jejunēt. 1. Cauſſa.

*Mollibus aſſuetus loricam ferre recuſat ;*
*Cervici teneræ ferrea caſſis obeſt.*

2. Cauſſa. 2. Parandis meritis, abſtinentiæ exercendæ, præſertim cùm publica urget neceſſitas, uti factum Ninive, cùm omnibus triduo jejunandum. Propheta Ioël ad ſobrium luctum invitans : *Sanctificate*, inquit, *jejunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate parvulos & ſugentes ubera. Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo.* Luctus & jejunium quandoque omnibus indicendum.

*Ioël c. 2. v. 15. & ſeqq.*

3. Cauſſa. 3. Iuvenes etiam jejunent mulo frenando, carni edomandæ, quæ tunc petulantiſſima eſt, cùm fervet & bullit ſanguis. Hîc vociferandum : Subtrahe ave- C nam equo, aut excutiet ſeſſorem. Hîc Theologorum monitu, natura jubet hunc hoſtem jejuniis exarmare. Hieronymus juventuti cavens hæc ſcripſit : *Non ignes Ætnæ, non & Vulcania tellus, non Olympus tantis ardoribus æſtuat, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Hîc juventutis rectores vigilent. Sicut autem infantes, adoleſcentes, juvenes, à jejunii legibus immunes ſunt, ita & ſenes. At eſt difficile certum ſenectutis exordium deſignare. Sunt qui ante annum quinquageſimum ſeneſcant. Conveniunt ferè Theologi, ſexagennarios ſenes jejunii lege non obſtringi, niſi conſtet ejus ætatis hominem eſſe tam vegetum ; ut illum abſtinentia non frangat. *Ætas* itaque cùm juventæ, tum ſenectæ, jejunii leges temperat.

*Hieron. ad Furiam viduam.*

Exordium ſenectutis Theologis ſexagenarius annus eſt.

## §. II.

2. Labor. ALterum, *Labor.* Hinc mechanici opifices, qui manuariis ſeſe laboribus alunt, uti ſunt agrico- D læ, lignarii & ferrarii fabri, ſutores, & his ſimiles, ſeu famuli, ſeu ancillæ, quos gravis fatigat labor, à dictis legibus excepti ſunt. Inter hos numerandi non ſunt pictores, tonſores, ſcribæ, ſartores, ſtatuarii, buccularii niſi cùm truncos bipennibus exſcindunt & aptant ſculpturæ. In laborantium cenſu ſunt, qui iter pedibus conficiunt, qui equo vehunt, ſi tamen illud ſit neceſſarium : nam iter ſuſcipere peregrinationis aut negotiorum cauſsâ, quæ facilè & ſine incommodo differri poſſunt, in legis eſurialis fraudem fit. Sub mortem purpuratus pater optimè dixit : Non oportet abarrhare Deum. In rebus omnibus cum Deo agendum exclusâ omni vafritie ac ſine dolo aut fuco. Deinde ab abſtinentiæ decretis liberant operoſiores illæ pietatis actiones, in templis concionari, docere in ſcholis, ad ægros & noſocomia diſcurrere. Quamvis in noſtrâ

*Sutoribus Toletus nimis rigidus eſt.*

*Subinde etiam curru vehentes.*

*Robertus Bellarminus.*

A Societate hi tituli cibos nulli porrigant; nam ſeptuagenarii & octogenarii viri, illi etiam qui in ſcholis aut templis docent, jejunant; niſi aliud interveniat, infirmitas corporis aut templi vaſtitas, quam nemo expleat niſi pridie cenatus. Sed ut luculentum ſit, Eccleſiæ leges minimè rigidas eſſe, hoc etiam addo. Sit aliquis qui manu feriante ſolo ingenio labores ſuos conficiat, dicátque : Non cenare, & tamen ſtudia tractare non poſſum : vacuum eſt caput & vertiginoſum, nec litteris aptum poſt pridianam inediam ; Nullus ſum, cùm penitus jejunus ſum. Huic ego bonâ pace dixerim : Mi domine, ſi aliter officio tuo fungi non poſsis niſi pranſus, cenatus, comede. Non exigit Deus jejunium, quod noſtrum impedit officium. Sed hîc, quod gnaviter obſervemus, bonâ fide agendum. Medicus & conſcientiæ judex ſecundùm allegata probata judicant: Deo mentiris, teipſum fallis, ſi illos decipis. Hoc ſcito, mulum tuum, carnem tuam eſſe aſtutiſsimam, nec illi B umquam deeſſe, quod cauſſetur. Tu ergo muli dominus cum Thalete ſapies, nec facilè credas fingenti. Errabis centies, errabis millies, ſi carnem indulgentiùs tractâris.

*Et in ſa… liis ſac… majores.*

## §. III.

TErtium, quod à jejunii legibus abſolvit, eſt *Infirmitas.* Ægroti aut admodum debiles refectione unâ non multum cibi poſſunt ingerere, aut cum grandi nocumento. Ita crebriori egent refocillatione, quod proprium eſt ægrotorum. In tribum hanc referuntur prægnantes, puerperæ, nutrices, convaleſcentes. Sed eſt femina toro juncta, fractis viribus, cujus valetudini maritus metuit, nec jejunare permittit : quid faciat? ſecurè comedat. Quòd ſi vir improbus & à religione alienus, in contemptum Eccleſiæ jubeat cenare ; uxor potiùs mori eligat, quàm ut iſtud faciat. Tanti eſt diſſentanea rationi cauſſa vel conſentanea. 3. Infirmitas.

C Itaque vel valde debiles, vel reipsâ ægrotantes, à jejuniis ſunt immunes. Sed hîc, quod ſæpius monendi ſumus, bonâ fide agendum. Nam vel liquet de morbo aut debilitate, vel dubium eſt. Si primum, res controverſiam non habet. Sin alterum, viri prudentis judicium exquirendum eſt. Nec enim quivis catarrhus aut diſtillatio jejunium tollit ; catarrhi ſalſi modico ſed crebriore cibo videntur indigere : ceteris nil ſalubrius jejunio & abſtinentiâ. E medico Lyceo longè veriſſima eſt præceptio ſæpiùs inculcanda.

*Eſurias, ſitias, vigiles, ſic rheumata cures.*

Hoc genus dæmoniorum & catarrhorum non ejicitur, niſi per jejunium.

Quartum, *Impotentia.* In hac claſſe ſunt homines fortunæ tenuis, mendici, pauperes, qui victum præparcum aut vagum habent, offam & olus in cenam & prandium. Ergo etiam cenent. Bis adeò parcè comeſſe, minùs gratum eſt carni, quàm ſemel jejunare. Dixi, D *Impotentia.* Contingit ſæpiuſcule, ut quis tale ſubeat hoſpitium, quod diverſitori bene nummato vix par ovorum poſſit apponere. Hoc locorum hoſpes non pauper eſt, ſed nihil eduliorum comparare poteſt, nec parato quidem pretio. Ergo cenet, qui tam modicè pranſus eſt. 4. Impotentia.

Itaque à jejuniorum legibus abſolvunt Ætas, Labor, Infirmitas, Impotentia. Hîc autem ſerio examine opus eſt. Nec enim quodvis ſenium, aut quivis labor, aut quævis infirmitas, vel impotentia jejunandi neceſſitatem tollit. Gravis labor, ætas & infirmitas grandis de die plus ſimplici vice refici permittunt. Aliis omnibus ſobrium illud occinitur : *Iejunandum eſt.* Sed neminem hoc terreat, nulli vox mœſta videatur abſtinentiæ: Beati qui nunc eſuritis. Et Auguſtinus inſigniſſimè nos animans ad jejunium animoſiſſimè incundum ; *Non vobis ergo*, inquit, *videatur levis res aut ſuperflua*

*Aug. tom. 9. de util. jejun. cap. 3. pag. 233.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*ſuperflua, ne quiſquam fortè hoc faciens Eccleſiæ conſuetudine,* A
*cogitet apud ſe, & dicat ſibiipſi, ut ſuggerentem intrinſecùs audiat tentatorem: Quid facis, quia jejunas? defraudas animam tuam, non ei das, quod eam delectat, tibiipſi ingeris pœnam, tuus ipſe tortor & cruciator exiſtis. Deo ergo places, quia te crucias? Ergo crudelis eſt, qui delectatur pœnis tuis. Reſponde hujuſmodi tentatori: Excrucio me planè, ut ille parcat: do de me pœnas, ut ille ſubveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem ſuavitatem ejus. Nam & victima excruciatur, ut in aram imponatur. Minùs premet mentem meam caro mea. Et tali diſſuaſori malo ſervo ventris reſponde per hanc ſimilitudinem, & dic: Si jumento fortè inſideres, ſi æquoutereris, qui te geſtiendo poſſet præcipitare, nónne ut ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem freno non poſſes? Caro mea jumentum meum eſt: iter ago in Hieruſalem, plerumque me rapit, & de viâ conatur excludere: Via autem mea Chriſtus eſt. Ita exultantem non cohibebo jejunio?* (Excurrere: alia lectio.)
B *Si quis hoc ſapit: etiam ipſo experimento probat, quam utiliter jejunetur.*

## CAPVT II.

### *Quo fine jejunandum.*

VOLVIT olim Deus, ut plebs Hebræa tubis uteretur, non in progreſſu ſolùm adverſus hoſtem, ſed etiam diebus feſtis ad ſolenniores epulas & tripudia feſtiviora: *Si exieritis ad bellum*, inquit, *de terrâ veſtrâ contra hoſtes qui dimicant adverſum vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, ut eruamini de manibus inimicorum veſtrorum. Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis & pacificis victimis, ut ſint vobis in recordationem Dei veſtri.* (Num. c. 10. v. 9. & ſqq.) Cur, quæſo, Deus tam tempore belli, quàm pacis & epuli vult canere tubas? Hoc genus muſicæ præliis eſt aptius quàm tricliniis & menſis. Martius cantus, & conviviorum odæ nimis ſunt diſpares.

Imò verò non ſunt: nam cùm ad menſam, ad convivium, ad epulum itur, certamen nobis & pugna indicitur adverſus Gulam & Intemperantiam, perinde ſi moneamur his verbis: Tuum hîc hoſtem invenies certò; vide virum te geras, dimices, vincas. Gulæ impera, ſubſtringe appetentiam, & viciſti. Ad hoc genus prælii quotidie bis tendimus: quot autem & quanti quotidie hîc ſauciantur, vincuntur, jugulantur, ſternuntur, ſub menſas corruunt, in hoc bello miſerè perempti! Quâ de re Ambroſius eruditè: *Cùm Iudæorum*, inquit, *cella vinaria eſſet petra; cùm pellucidum Creticum aqua, cùm penu opulentum depluens manna, uniformi cibo utebantur, nemo illorum ægrotabat, fortiſſimas gentes debellabant: Vbi veſci carnibus, ſimul etiam catervatim mori cœperunt, adeò ut è tot centenis millibus duo tantummodò viri in terras uberes pervenerint.* D Iejuniis & abſtinentiâ hoſtes tartareos vincimus, corporis & animi valetudinem ſervamus. Quinam autem à jejuniorum legibus ſint eximii, capite ſuperiori diximus. Nunc progredimur, & Quomodo jejunandum ſit explicamus. Primum omnium, quod abſtinentiam Deo gratam facit, eſt Bona Intentio. De quâ hoc capite agemus.

### §. I.

(1. Ieiunii caput: Recta intentio in jejunio eſt requiſita.) QVod in omni virtute locum principem tenet, id etiam in abſtinentiâ primum ſit, Finis bonus, ſeu, recta Intentio. Hæc docet abſtinere ac jejunare, non ut oculis hominum, ſed ut divinis placeamus; obedientiam Eccleſiæ debitam, copoſiorem animi ſalutem, auctius cæli præmium, majorem Dei gloriam ſpectemus. Varia prorſus & valde diverſa jejunantium eſt Intentio. (Varietates intentionum in jejunio.) Placuit Theologis hanc Intentionis varietatem metro, licet minùs eleganti, comprehendere:

A *Abſtinet æger, egens, cupidus, gula, ſimia, virtus.*

Hoc verſu Intétiones complectimur, quæ aut malæ & jejunio adverſæ, aut certè tales, quæ virtuti abſtinentiæ non ſunt congruæ. Explico ſuccinctè ſingulas.

1. *Abſtinet æger.* Soli tuendæ aut recuperandæ valetudini. Licitum hoc & laudabile. Sed ideo tantùm abſtinere cibo, ut ſanus ſis, non eſt jejunium, ſed Temperantiæ pars & ornamentum. Ad imperata tamen jejunia hæc intentio quantumvis bona non ſufficit, ſi ſit ſola. Sed abſit hîc ineruditæ conſcientiæ metus, modò Intentio recta non ſtudio excludatur. Exempli gratiâ: Apoſtoli Matthæi pervigilio rudimenta morbi ſentiens ita ſtatuo: Hac nocte nil cibi & potûs libabo ad morbum avertendum, aliàs certè cenaturus. Hac ratione non jejuno: Nam intentionem rectam excludo. Sed clariùs. Pervigilio Matthæi Apoſtoli ita ego mecum ratiocinor: Pejùs me valere ſentio, igi- B tur hodie non cenabo. Nec incommodè; nam & jejunii veſper eſt. Ita fideliâ unâ parietes duos dealbo: valetudini attendo, & quia etiam aliàs jejunaſſem, legibus non contradico. (1. Abſtinet æger.)

2. *Abſtinet egens*, Sed huic inediam perſuadet inopia; quod edat, non habet, aliàs liberaliter cenaturus. Sed & hic homo facillimè juvari poteſt, modò Intentionem aliquantulum emendet, dicátque: Paupertas quidem vacuam mihi menſam apponit, ſed etſi opulentus eſſem, hoc tamen eſuriali veſpere non cenarem. Optimè prorſus, optimè. Nam ita commendat jejunium patientia. Felix neceſſitas, quæ compellit ad meliora. Tanti eſt Intentio recta. Intentio facit omnia. (2. Egens.)

3. *Abſtinet cupidus*, ob tenacitate & avaritiam, ut pauculis ſeſtertiis aut vini ſextario comparcat, famem ſitímque re ſuâ fraudat. Hîc cùm Æſopicâ vulpe pronuntiem: O pulchrum caput, ſi cerebro non careret! ô bonum jejunium, ſi recta intentio non deeſſet. Sunt C qui ære alieno ita ſe involvant, ut ab aliquo mutuum accipiant, ut alteri, qui mutuum conceſſit, reddant. Veſtem novam lacerant, ut laceratam ſarciant. Hoc quidem eſt verſuram facere. Ita jejunium intentionis bonæ, ac ſincerum, vitia & diabolum arcet; jejunium ex avaritiâ ſuſceptum vitiis & diabolo riſum movet. Ergo abſtinet æger, egens, cupidus. Sed eorum abſtinentia non proinde ſemper laudanda. (3. Abſtinet cupidus.)

### § II.

4. ABſtinet gula. Monſtrum. Eſt qui parciſſimè cenet, quid ita quæſo, ceteroqui non paſſerculus edendo? En cauſſam: Craſtinæ diei lautiſſimum ſperat prandium: ideo differt famem. Sed excuſemus iſtud, ſi apud ſe ita ſtatuat: Craſtina indicti convivii hilaritas, ſat ſcio, cibum potúmque largiorem ingeret, pluſculum ultrà quàm ſoleam admiſſurus ſum Bromii; igitur hodie tantò abſtinentior ero. D Non abſurdè hoc aut malè. Sed illud infame ac turpe certæ nationi (parco nomini) in quâ reperias, qui biduum triduúmve comedant parciſſimè, ut in proximo convivio epularum vinique quamplurimum capiant pranſuri de alieno. Hîc verè abſtinet Gula, quæ tantò modeſtiùs edit, ut tantò voret effuſiùs. O ridiculi, & ô fatui mortales, cenam magnam æternam in cælo exſpectamus, hodiernâ vel craſtinâ illam adituri ſumus, cur ergo famem non etiam differimus? Quid ſeptuaginta vel octoginta vitæ anni ſunt? breve prandiolum. Poſt hoc cena ſequitur longa, cena magna, cena æterna. At nos plerumque in ponendo vitæ calculo erramus: dies numeramus & annos prolixâ ſpe. Hic noſter calculus eſt: Annus primus, annus ſecundus, annus tertius, viceſimus, quadrageſimus, ſeptuageſimus annus. Amplum, ut putamus, vitæ ſpatium, longa ſeries annorum. O infantes boni! quid obſecro longum eſt, quod æternum non eſt? Omnis vita no- (4. Abſtinet gula.)

ſtra

ſtra lineæ ſimillima. In lineâ etiam minimâ & vix viſibili, infinita tamen ſunt puncta, ut Matheſis docet, & ipſa linea puncto clauditur. Punctum, ens pæne nullum, punctorum numerus maximo major: ita vita noſtra quantumvis multos annos numeret, demum punctulo finitur, & totum hoc prolixum, ut videbatur, ſpatium, in unicum confluit horæ minutum, in punctulum unicum. Quid grandes difflamus ſpiritus, & cenas anhelamus Saliares, Pontificias? Omnis vita prandiolum eſt breviſſimum: conſequitur, ſed magna, ſed numquam finienda. Pergo:

5. Abſtinet ſimia. *Matth. c. 6. v. 16.*

5. *Abſtinet ſimia*, hoc eſt, Vana gloria. Hanc jejunii labem Chriſtus præ omnibus exterminans: *Cùm jejunatis*, inquit, *nolite fieri ſicut hypocritæ*. Cavete, ne oculos humanos ad veſtram eſurialem menſulam trahatis, ut inde vos ſuſpiciant & laudent. Cavete hanc abſtinentiæ, omniúmque virtutum peſtem. Abſtinet ſimia, & famem patitur hypocrita, ne putetur minùs aliis religioſus. Apage hanc ſimiæ abſtinentiam, vitioſa, mutila, nulla eſt. Megæræ ac Cerbero jejunat, qui jejunat Vanæ gloriæ. Cur Chriſtus, obſecro, jejunavit in deſerto? Iejunium tam cautum non Servatori, ſed noſtræ inſtructioni erat neceſſarium; quaſi diceret Chriſtus: Si fieri poteſt, ſolitudo jejunium veſtrum arbitretur. Non opus hîc ſpectatoribus, non opus arbitris humanis oculis. Videant Angeli, videat Deus; ſatis eſt, abundè ſatis. Deus merus eſt oculus, qui cùm videt jejunantem, plus eſt quàm ſi eum centum millia oculorum videant, decies centena millia linguarum laudent. Animæ vox eſt fideliſſimæ: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Ego Deum reſpicio, & Deus me; ita optimè res utrimque geritur. Nec tamen opus eſt, cùm jejunamus, humanos oculos ita fugere, ut illos veluti Meduſæ clypeum horreamus. Videant illi nos jejunantes, ſed glorificent, non nos, ſed patrem noſtrum qui in cælis eſt. Ita ſimia nihil nobis negotii faceſſet.

Iejunium Chriſti in deſerto noſtræ inſtructioni fuit neceſſarium.

*Cant. c. 2. v. 16.*

§. III.

RES geſtæ priſcorum Patrum memorant ſenem religioſum in eremo interrogatum à juvene: Qui fit, mi Pater, jejunia in cœnobio mihi tam facilia viſa, nunc porrò difficillima, intolerabilia videri? Senex humanæ vanitatis non ignarus, & quàm potens eſſet inanis gloria: Fili, ait, cùm putares te jejunare, reverà non jejunabas; nam occultè paſtus es. Nullo modo, ait, juvenis; & quæſo ne iſtud, Pater, de me cogites. Cui ſenex iterum: Vana gloria, inquit, pabulum occultum, ſuave, ſed falaciſſimum & letale: hoc tumidum facit, non ſanctum; & iſto tu quidem paſtus es, cùm in cœnobio ageres. Spectatores habuiſti, & ideo facilè jejunâſti. Cùm deeſt jejunanti ſpectator, deficit & jejunandi ſtudium. Abſtinentia ſimiæ maligna, nullius pretii, noxia eſt.

Ideo Gregorius Lingonenſis Antiſtes, qui carne pejùs & angue ſimiam hanc oderat, hordaceum quidem panem ſolitus eſt edere, ad gulam affligendam; ne tamen ea res applauſum haberet & laudem, tamquam in ſeipſum ſanctè rigidus ſit, panes ſibi triticeos, egenis hordeaceos pinſi juſſit; ſed eâ partitionis induſtriâ eſt uſus, ut in pauperes quidem dividerentur triticei, ſibi autem hordeacei remanerent. Cujus arcani ſolus piſtor fuit conſcius. Hic idem Præſul, ut ſimiam enecaret, aquæ, quam ſemper biberat, non plus vini affundere conſuevit, quàm ut ea colorem quidem referret, ceteroqui nihil haberet vini, potus ingratiſſimus. Obiit vir iſte ſanctiſſimus nonagenarius, anno Chriſtiano quingenteſimo trigeſimo, triginta trium annorum Epiſcopus. Huic virtutis ſupparem adſtituo memoriæ recentis, & noſtri ævi præſulem.

*Alii aliter hoc narrãt: Coctos. Gregorio panes hordaceos, ſed cruſtâ triticeâ obductos. Gregorius Turonenſis de hoc viro plurima.*

Ioannes Godefridus Bambergenſis & Würzburgenſis Antiſtes, qui anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo in Electorum comitiis Ratisbonæ obiit, ſimiam illam inſigniter triumphare noverat. Ante Chriſti natalem toto Adventûs ſacri tempore carnibus abſtinuit. Quadrageſimâ totâ non ſolùm carne, ſed & piſce, omnique alio animante menſæ ſuæ interdixit, ſolis cicere, rapis, olere contentiſſimus. A primâ pueritiâ omni Veneris & Sabbati die in Chriſti patientis & Virginis puerperæ honorem jejunavit. Sæpius in anno totis diebus extra panem & aquam nil penitus libavit: jam ipſi in legem erat diem ſanctum Paraſceves buccellâ panis & aquæ hauſtulo traducere. Atque hæc fecit, quantùm licuit, ſine arbitris. In Divorum pervigiliis tam tectâ ſanctimoniâ jejunavit, ut menſam more ſolito accumberet tamquam cenaturus, hilaris ac lætus cum aſſidentibus colloqueretur, partes à carpo acciperet, eas tamen ſubitò cùm minùs obſervaretur, famulo adſtanti redderet, & ita lautè ac ſplendidè eſuriebat, quod nemo facilè niſi attentiſſimus notabat. Hinc Godefridus caſtitatis miraculum, homines libidinoſos, ut ipſum cacodæmonem odit ac fugit. Sed iſtud hîc non peragimus. Huc pertinet illuſtre artificium, quo tantus princeps Gulam ſimul & Simiam inſigniſſimè ludificavit, ſobrius ſimul & modeſtus. Videri voluit, ſed à ſolo Deo. Divinus ille oculus pro mortalium omnium oculis fuit. Hæc ego è duplici publicáque funebri oratione recito.

*Olim Dei ſpiritus in priſcis Pa[...] ſeculi [...] gnit, [...] necdum [...] omnibus Germaniæ Epiſcopis receſſit.*

*Vide Nicolaum [...] l. 2. c. 4. [...] 4.*

Ergo abſtinet æger, egens, cupidus, gulâ, ſimiâ. Quæ pleraque omnis malæ notæ abſtinentia eſt. Sed abſtinet demum & *virtus*, quæ ſancto fine, bonâ rectâque intentione init jejunium, dicitque: *Omnia ad majorem Dei gloriam*: ergo etiam & iſtud. In quem finem ſæpius cogitandum illud Auguſtini: *Nullus ſine jejunio vicit diabolum*. Quod Petrus Chryſologus confirmans: *Scimus*, inquit, *jejunium eſſe Dei arcem, Chriſti caſtra, murum ſpiritûs, vexillum fidei, caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum. Hoc Adam ſervavit in paradiſo, quem inde detraxit gula. Hoc in arcâ cuſtodivit Noë, mundum ebrietas cùm demerſit. Per hoc Loth Sodomiticum reſtinxit incendium, qui per ebrietatem inceſti eſt aduſtus incendio. Hoc Moſen divini fervoris fecit lumine perlucere, quando comeſſatio & ebrietas Iſraëliticum populum ſimulacrorum tenebravit erroribus. Hoc Eliam pervexit ad cælum, quando Achab impium ebrietas ad inferna dejecit. Hoc Ioannem in natis mulierum fecit eſſe majorem, quando temulentia Herodem principem imperio mulierum reddidit homicidam*. Cacodæmonem vincere recuſat, qui jejunium inſtituere detrectat.

*Chryſol. ſer. 12. [...] pag. 37.*

Humanæ gentis vitium Curioſitas tam potenter quæ vult perſuadet, ut homo curioſior ad hominem aut inſigniter charum, aut ſingulariter celebrem videndum, mira facere vel pati paratus ſit. Si quis Apoſtolos, Chriſti diſcipulos, præcipuè Petrum & Paulum, ſi quatuor Latinos, & Græcos quatuor Eccleſiæ Doctores, ſi omnes ordine Pontifices, ſi Romanos Cæſares omnes, quales vixerunt, tales intueri coràm poſſet, menſe aut anno etiam uno non ægrè jejunaret. Vt Deum videamus, in quo homines univerſos viſuri ſumus, quid facimus? Beati, qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini, æternitatis ſpectaculo amœniſſimo, infinito.

## CAPVT III.

### *Quomodo reipsâ jejunium ineundum.*

SAPIENS Hebræus Siracides inter rudimenta vitæ humanæ panem & aquam numerans: *Initium* inquit, *neceſſariæ rei vitæ hominum aqua, ignis, & ferrum, ſal, lac, & panis*, &c. A jejunio humana vita incipit, & in eo deſinit: panis & aqua jejunantium menſa. Omnes quidem animantes ſuum ſibi pabulum habent, bos

*Eccli. c. 39. v. 28.*

Vita humana incepit à jejunio.

fœnum

fœnum, equus avenam, canis oſſa, aranea venenum: homo quia dominium magnam partem in animantes perdidit, imò quia ſe animantibus immiſcuit, illis factus ſimilis, pane & aquâ contentus ſit; elementa ſublimiora aër & ignis illum non alent; ad inferiora tendat, terra panem dabit, aqua in potum erit. Ita facillimus hominis victus, panis & aqua. Primum prandium, lac maternum. Ab hoc tranſitur ad alia. Tenue initium & jejunio ſimillimum. Cœpimus dicere, *Quomodo jejunandum ſit*. Præcipuam jejunii partem eſſe diximus intentionem rectam. Nunc porrò plures jejunii partes aſſignamus, & quomodo reipsâ & *practicè* ſit jejunandum exponimus.

## §. I.

2. Jejunii caput: Vna diei refectio.

ALterum ergo jejunii caput eſt, *Refectio unius diei una, cibis certi generis excluſis*. Iejunii dies ante omnia excludit carnes, & quod carnibus adeò affine, pecudum inteſtina, ovium pedes & exta, vitulorum capita, omnis generis altilia, & quidquid in carnis cenſum venit. Lutra, ſicut & Caſtoris, ſeu Pontici canis cauda, quæ apud multos in deliciis eſt, à Carthuſianis eduntur: nam in piſcium tribum referuntur. Sunt anates in Belgio, quæ ſanguine conſtant & oſſibus, ſed quia ſanguinis ſunt frigidi, in eâdem cum piſcibus familiâ cenſentur, nec eſurialibus feriis excluduntur menſis.

Quæras: Lac, ova, caſeus, num permiſſa jejunioſis diebus? Ajo primò: Certum, hæc olim fuiſſe vetita; nam carni valde ſunt affinia. Deinde in religioſis familiis præſertim caſeus & ova, niſi ægris, non permiſſa. Tertiò, hæc eadem alibi in Galliæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, Italiæ partibus, jejunantium menſis excluduntur. Quid in Germaniâ, inquis, faciendum? Conſuetudo potiſſimùm ſequenda, quæ ejuniorum in pluribus eſt norma. Nam quemadmodum Hiſpani non religiosè faciunt, qui reclamante conſuetudine ova comedunt; ita Germani non delinquunt, qui in comedendis ovis conſuetudini conſentiunt. Ita luculenter Auguſtinus ad Caſulanum presbyterum: *Si de hac re*, inquit, *ſententiam meam quæris, ego in Evangelicis & Apoſtolicis litteris, totóque inſtrumento, quod appellatur teſtamentum novum, animo id revolvens, video præceptum eſſe jejunium. Verumtamen in hujus ſabbati jejunio, nihil mihi videtur tutius pacatiúſque cuſtoditâ eorum, inter quos vivimus, in his rebus inoffensâ ſocietate.* Et ad Ianuarium. *Quæ*, inquit, *non ſunt contra fidem & bonos mores, & habent exhortationem vitæ melioris, non improbemus, ſed laudando & imitando ſectemur.* Ergo ſecundum jejunii caput eſt, *Vna diei refectio.*

Aug. to. 2. epiſt. 86. ad Caſul. preſ. ſub finem. Epiſt. 119. ad Ianuar. c. 18. nam hæc epiſtola pene liber eſt.

3. Iejuniū aliquantulū eſt ſentiendum.

Tertium: *Iejunium aliquantulum eſt ſentiendum.* Sicut jejunantis ſcopus eſt animi ſalus, & Dei honor; ita jejunii finis eſt ſentiri: ſtomachus, caput, totum corpus inediæ aliquid & famis perferat: & quid refert, ſi ſomno paullulum decedat? Ridiculum prorſus eſt velle corpus caſtigare, nolle tamen ut quidquam caſtigationis ſentiat. Hoc quidem verum, cùm jejunium ſit remedium, mens Eccleſiæ non eſt ut hoc remedio notabile inferatur damnum valetudini. Nihilominus ſicut pharmacum non ſolet eſſe ſuave, ſed ſalubre, nec ſine intemperiis & tumultu adjuvat: qui amarorem aut morſum medicamenti reſpuit, ſanitatem fugit; ita ſanè qui jejunium odit, remedium deſpicit: neque conveniunt hæc duo, velle jejunare, ſed jejunii moleſtiam ſentire non velle. Ambroſius non ſine acri ſtimulo interrogans: *Quomodo*, inquit, *videtur jejunare, qui non eſurit? quomodo videtur jejunare, qui non ſitit?* Videte mihi hominem, qui vult eſſe cocus, ſed ad ignem ſtare nequaquam ſuſtinet. Videte mihi molitorem, qui farinæ pulveribus inſpergi refugit. Et qualis ille coriarius eſt, qui in madido laborare recuſat? qualis nauta, qui aquas & ventos execratur? qualis agricola, qui æſtum & gelu non fert? qualis mercator, qui nihil niſi præſente vendit monetâ? & quis ille plaſtes ac fictor ceræ, qui ut vicinas ferat prunas induci non poteſt? Eodem prorſus modo quis jejunator ille, qui ſentire inediam detractat? Aliter profectò rex Hebræus, qui de ſeipſo: *Genua mea*, inquit, *infirmata ſunt à jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum.* Ita jejuno, ut ſentiam me jejunare, ita vigilo, ut plus olei ad precationes nocturnas quàm ad epulationes cōſumam? Ita caro mea jejuniis & vigiliis exhauſta eſt, ut omne oleum vultûs, omnémque ſucculentam pinguedinem amiſerim; pallent vacuæ pendulæque genæ, oculorum orbes mœrent, flos oris exaruit: immutata eſt caro mea.

Amb. to. 3. l. 5. cōmen. 3. in c. 5. S. Lucæ mihi pag. 95.

Pſal. 108. v. 24.

## §. II.

Matt. c. 4. v. 2.

CHriſtus ipſe jejunium ſentire voluit. Nam *cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit*. Potuiſſet equidem Servator tam ultimo, quàm tertio, quàm ſeptimo, quàm viceſimo die famem non ſentire, ſed voluit, quod jejunii proprium eſt, eſurire.

Diſpēſatio jejunii nō ſine gravi cauſâ petenda.

Hæc Domini exempla doceant, non facilè, nec ſine gravi cauſſâ remiſſionem legis (diſpenſationem vocant) petere. Sunt qui exceptionem à lege non tam petant quàm extorqueant frigidi Chriſtiani. In quos illud uſurpes Pſaltæ: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: Ideo operti ſunt iniquitate.* Iejunium quaſi tributum, aut opus clientelæ quod omnes ſpectat. Ideo Bernardus: *Peccare volunt cū hominibus*, ait, *ſed non flagellari cum hominibus. Vnde timendum quòd flagellentur cum dæmonibus.* Nos toto pæne anno jucūdi ſumus ſodales in peccatis, cur non etiam in pœnitentiis? *Secutus es errantē*, inquit Ambroſius, *ſequere & pœnitentē.* Qui non flagellātur in vitâ, flagellabuntur in gehennâ.

Pſ. 72 v. 5. Iuriſconſul. Angariorū xhibitio. Bernar. ſer. ad Paſtores in Synodo, mihi pag. 1762.

Cum conſciētiâ deliberandum eſt an cauſſa ſit æqua.

Diſpenſationem ergo petiturus (quod in rebus etiam aliis obſervetur) coram Chriſto judice ſeipſum conſtituat, & cum conſcientiâ ſuâ ſollicitè deliberet, num cauſſa æqua & juſta, num neceſſitas compellat exceptionem legis poſcere. Si ſic agat, bonâ fide aget. Sin autem ejuſcemodi deliberatio non præmittatur, conſcientiam parum juvabit poſſe dicere, Tam medicus quàm confeſſarius à jejunio me liberum pronuntiârunt. Hoc ſæpè fucus eſt & futilis prætextus ſocordiæ nimis delicatæ tegendæ. Hi ambo judices prout diſerta eſt narrantis querimonia, ita judicant. Si ea vera eſt; fiat quod petitur. Sin aliter, non medicus, non confeſſarius erravit, ſed qui querimoniam falſam texuit. Vt ſcias, mi Chriſtiane, Chriſtus judex ſupremi judicii die, non ſecundùm opinionem tuam, ſed ſecundùm veritatem ſuam judicabit. Tres illi cæleſtis epuli contemptores; cùm ad nuptias invitarentur, excuſatione calvâ ſic uſi ſunt. Primus: *Villam*, inquit, *emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam; rogo te, habe me excuſatum.* Alter: *Iuga boum emi quinque, & neceſſe habeo probare illa; rogo te, habe me excuſatum.* Tertius: *Vxorem duxi*, ait, *& ideo non poſſum venire.* Pulchra, ſed invalida excuſatio. Viri boni neceſſitatem, quæ non erat, cauſſabantur. Res igitur cautè ponderandæ; fucatæ rationes lege neminem ſolvunt.

Luc. c. 14. v. 18. & ſeqq.

## §. III.

4. Iejunii die prandium non nimis lautū ſumendum.

QVartum: *Iejunii die prandium non nimis lautum eſt ſumendum.* Mellifluus Bernardus ævi ſui abuſus deplorans: *Interim*, inquit, *fercula ferculis apponuntur, & pro ſolis carnibus, à quibus abſtinetur, grandia piſcium corpora duplicantur. Cúmque prioribus fueris ſatiatus, ſi ſecundos attigeris, videberis tibi necdum guſtaſſe piſces. Tantâ quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis, prima non impediant noviſſima, nec ſatietas minuat appetitum. Palatum quippe dum novellis ſeducitur condimentis, paullatim diſſueſcit cognita, &*

Bern. Apol. ad Guil. Abb. mihi pag. 1288.

*ad ſuccos*

*ad ſuccos extraneos veluti adhuc jejunum, avidè renovatur in deſideria. Venter quidem dum neſcit oneratur, ſed varietas tollit faſtidium. Quia enim puras (ut eas natura creavit) epulas faſtidimus, dum aliæ aliis multifariè permiſcentur, & ſpretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibuſdam adulterinis gula provocatur ſaporibus: tranſitur nimirum meta neceſſitatis, ſed necdum delectatio ſuperatur. Quis enim dicere ſufficit, quot modis (ut cetera taceam) ſola ova verſantur & vexantur: quanto ſtudio evertuntur, ſubvertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc aſſa, nunc farta, nunc mixtim, nunc ſigillatim apponuntur? Vt quid autem hæc omnia, niſi ut ſoli faſtidio conſulatur? Ipſa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, ut non minùs aſpectus, quàm guſtus delectetur: & cùm jam ſtomachus crebris ructibus repletum ſe indicet, necdum tamen curioſitas ſatiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum ſaporibus illiciuntur, infelix ſtomachus, cui nec colores lucent, nec ſapores demulcent, dum omnia ſuſpicere cogitur, oppreſſus magis obruitur quàm reficitur.*

Hîc Bernardus non decorum ſtatûs, ſed prandiorum lautitiam objurgat. Refectio ſit una, ſed non nimis lauta, non nimis copioſa. Nam qui in uno prandio tantum vorant, quantum tribus Vitellis ſuffecerit, præcepto forſan ſatisfaciunt, quia ſemel tantùm edunt, ſed præcepti finem neutiquam attingunt, quia jejunium planè non ſentiunt. Auguſtinus hîc utiliſſimè monens: *Hæc*, inquit, *ſi facimus, fratres, inde nobis parare poſſumus medicamenta, unde nobis vulnera feceramus. Ante omnia in diebus jejuniorum quod ſolebamus prandere, pauperibus erogemus, ne fortè aliquis ſibi ſumptuoſas cenas, & exquiſitis ſaporibus epulas ſtudeat præparare, & corpori ſuo magis commutaſſe quàm ſubtraxiſſe ciborum abundantiam videatur. Nihil prodeſt totâ die longum duxiſſe jejunium, ſi poſteà ciborum ſuavitate vel nimietate anima obruatur. Illico mens repleta torpeſcit, & irrigata corporis noſtri terra ſpinas libidinum germinabit. Sit ergo temperatus cibus, & numquam nimiùm venter repletus: & plus ſemper de cibo cordis, quàm de cibo corporis cogitemus.*

*Aug. to. 10. ſer. 2. feriâ quartâ in capite jejunii, ſer. 65. in ordine, de Tẽpore, mihi pag. 252*

§. IV.

QVid porrò de iis dicemus, qui ut jejunium minùs ſentiant, ad horam diei nonam decimámve dormiunt: dum verò veſtiunt, dum moliuntur, dum comunt, menſa vocat. O jejunatores ſtrenui! Deus non irridetur, non fallitur, Deus non eſt abarrhandus, ut dictum. Rex David ſinceriſſimè hoc agens, *Deprecatus eſt Dominum pro parvulo & jejunavit jejunio, & ingreſſus ſeorſum jacuit ſuper rerram.* Sunt qui jejunantes non jejunant, ſicut qui videntes non vident, audientes non audiunt: illorum jejunium Paſcha foret aliorum lautiſſimum. Idcirco die quo jejunandum, memores ſimus, cùm prandemus, diem eſſe eſurialem, qui cenam nullam, prandium habeat moderatum. Athanaſius hoc dilucidè affirmans: *Non ſolùm*, inquit, *tarditas cibi ſumendi jejunium eſt, ſed & paucitas; neque in hoc ſita eſt religionis exercitatio, ut duo ſint convivæ, ſed ne varia comedant.* Ergo prandium moderare, cenam omitte. Eminẽtiſſimus Cardinalis Robertus Bellarminus oblivioſam aut occluſam aurem hîc convellens: *Quid nobis*, inquit, *Eccleſia mandat? jejunia Quadrageſimæ, Quatuor temporum, & Vigiliarum. Iſta ſi ſuſcipiantur, ut oportet, non ſine patientiâ perfici poſſunt. Nam ſi quis velit in diebus jejuniorum exquirere delicatas epulas; & in cenâ unâ ſive prandio uno tantum cibi ſumere, quantum in prandio ſimul & cenâ capere ſolitus erat; & horam anticipare, & poſteà ſub veſperum cenulam ſumere tam copioſam, ut cena dici poſſit; iſte certè non facilè eſuriet, neque ſitiet, neque patientiâ opus habebit: ſed ſi seriò ſtatuat, non anticipare horam, niſi morbus aut alia neceſſitas cogat: vulgares & viles epulas pœnitentiæ agendæ accommodatas ſumere, & quidem in eâ menſurâ, quæ refectionem unam, eámque ordinariam non excedat; & quod in aliâ refectione ſumeretur, ſi dies jejunii non eſſet, dare pauperibus:* ut ſit, *juxta beatum Leonem*, refectio pauperis, abſtinentia jejunantis, atque, *quod idem monet alibi*, eſuriamus paullulùm, & aliquantulùm, quod juvandis poſſit prodeſſe pauperibus, noſtræ conſuetudini ſubtrahamus: *& denique ſub noctem cenula, quæ ſumi à multis ſolet, verè ſit cenula: tum ſine dubiò patientia neceſſaria erit ad eſuriem & ſitim tolerandam; & ſic jejunando Chriſti patientiam utcumque ſaltem imitabimur.*

*2. Reg. c. 12. v. 16.*

*Athanaſ. ſerm. 66.*

*Bellarm. de 7. verbis Chriſti crucifixi l. 2. c. 10. mihi pag. 183.*

*S. Leo ſerm. 11. de jejunio decimi menſis. Idem S. Leo ſer. 9. de jejunio menſis ſeptimi.*

§. V.

QVintum: *Tempus prandii ſeu cenæ non præveniendum.* Patere, mi Lector, nos etiam minuta hîc proſequi. Eſuriali die prandium more veteri Eccleſiæ *Cena* dicitur. Ita ſub meridiem preces ſunt: Ad cenam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ gloriæ. Nam olim refectionis hora die jejunii fuit veſpera, quâ Dominus IESVS è cruce receptus, in tumulo compoſitus eſt. Hinc cena fuit prandio penitus omiſſo. Priſcum hunc Eccleſiæ morem Auguſtinus *uſquequaque uſitatiſſimum* affirmat. A cenâ hac veſpertinâ tranſitum eſt ad horam pomeridianam noſtram tertiam, Priſcorum nonam, quâ Chriſtus in cruce mortuus. Ea conſuetudo cenandi horâ tertiâ pomeridianâ etiamnum tenuit anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo, beati Thomæ Aquinatis ævo, cujus hæc ſunt verba: *Vt jejunantes circa horam nonam* (noſtra tertiam) *cibum ſumant, convenienter eſt conſtitutum.* Ita primitus die jejunii, cenatum eſt veſperi, omiſſo prandio. Dein cena illa in horam tertiam pomeridianam migravit. Denique in horam undecimam ſub meridiem una hæc jejunii refectio tranſlata eſt: ita quidem, ut lex violari credatur, ſi ſine cauſsâ notabiliter citiùs cenetur. Seriùs cenare non prohibitum. Navarrus inter grandiores noxas numerat, ſtatum refectionis tempus unâ alterâve horâ prævenire ſine cauſsâ. Nos minoribus noxis annumeramus. Nam vera jejunii ratio eſt carnibus non veſci, & ſemel in die refici. Maturiùs id facere rem ipſam non evertit. Et qui citiùs cenat, diutiùs pòſt expectet, celeriùs eſuriat. Quòd ſi hoſpites ſint dimittendi, aut deſtinatum iter urgeat, accelerare cenam ſine noxâ licebit. Cetera, conſuetudinem hac in re ſervare, optimum.

*5. Tempus prãdii ſeu cenæ non præveniendum.*

*Aug. to. 1. l. 2. de Mor. Eccleſ. Catholicæ c. 13.*

*S. Tho. 2. 2. q. 147. in concluſ.*

*Prævenire tempus prandii an ſit peccatum.*

Coronidem addo capiti cum Climaco, qui jejunium verè pharmacum pharmacorum omnium præſtantiſſimum agnoſcens. *Iejunium*, inquit, *ſanitas corporis, compunctionis janua, mentis cuſtodia, paradiſi porta.*

*Clim. grad. 14. mihi pag. 175.*

## CAPVT IV.

### *Quæ veſpertina ſit jejunii refectiuncula.*

NOn malè dixerim: Quot homines ſancti, tot ſpecula jejunii. E numero illorum non pauci totos ſæpe dies, biduum triduúmve, & ampliùs alimẽtis omnibus abſtinuerunt. Tarſenſis Paulus religionem Chriſtianam eſt exorſus jejunio triduano. Sed numquid in iſtorum album referemus optimatem illum ingenioſè jentantem? Audite, & videte, ſingulariſſimum abſtinentiæ prototypon propono. Virum ſummatem novi, ait nobilis ſcriptor Hippolytus Guarinonius, qui aliquot annis non priùs ſolebat ſtrato ſeſe levare & veſtes circumſpicere, quàm clarum mane feneſtras intraret, & anguſtas lumine rimas extẽderet, tertiáque jam linea tangeretur (hoc eſt, horâ nonâ antemeridianâ) & pecus pæne omne ſub ulmo eſſet. Stertebat, itaque, indomitum quò deſpumare Falernum ſufficeret, & uſque dum ſomno helucum probè demum diſcuteret. Poterat vir iſte primas è ſuo

*D. Doctor Guarinon. de Abominandis immanjia l. 7. c. 11. pag. 1195.*

*Perſius ſatyr. 3. Helucat Tertullian. effectu ...*

quâ proclives in ſomnum ſumus ex pridianâ crapulâ. Sext. Pompeje longum, ſemiſomnum, & heſterno vino oſcitantem ſignificat.

ſuo cubiculo in ipſum uſque triclinium, Optices perſpectivæ beneficio, ſemiſomnes oculos rectà mittere, & num redivivo ſibi è plumeo ſepulchro paratum ſtaret epulum, clarè conſpicari. Ne quid verò vigilantiſſimo patrifamiliæ bonarum horarum malè periret, veſtiri & calceari ſolebat in hunc modum: Vrceus ſtabat argenteus, recenti Falerno ſpumans, in domini ſui primam vigiliam paratus: juxtim panis dominicus à furno itidē recens herilem gulam expectabat. Diceres illum in Candiâ natum, ubi incolæ quot diebus manè pane toſto & Falerno generoſiſſimo ſeſe reficiunt, ita perennaturi in plurimos annos. Quamprimum ergo herus ſemiſopitum adhuc pedem extra plumas poſuiſſet, famulus aderat, qui ambroſiam iſtam & illud nectar adhuc oſcitanti propinaret. Et quoties famulorum alter tibiale pedi aut calceum induxiſſet, toties pocillator nivei panis Falerno madidatam bucceam porrigebat. Sic primas iſte tēporis parciſſimus, ſimul & eâdem pæne operâ veſtiebatur, calceabatur, comebatur, jentabat, prandebat. Nam ubi veſtes indutui recepiſſet, quotidianam ampullam perhauſiſſet, & pæne jam omnem ſitim Apicianâ promulſide necâſſet, recto gradu ad calidum triclinium tendebat, ſeſſum ſe recepturus & pranſurus, prout in dies ſolebat, pollucibiliter. Iuvenis quidem fuit novus hic Apicius, fuit & robuſtus, fuit & opulentus; dixiſſes illum Methonis annos victurum: ſed heu miſerum! qui lautiſſimè vivendo hoc unum egit, ut viveret breviſſimè, & æternùm forſan moreretur. Nam diem ſuum obiit ante diem. Nec tamen à Parcis dici poteſt extinctus, ab aliis deabus, Edinâ nimirum & Potinâ, quibus ille quotidie tamen faciebat, in ſubterraneum carcerem præcipitatus eſt; victurus in multos annos, ſi vitam minùs amaſſet, aut minùs gulam.

Huic ſocium do iſtum. Interfuit (inquit idem Guarinonius) vir princeps Saliari Pontificum cenæ: unáque viri principes complures, & quidem, contrà quàm in conviviis fieri M. Varro velit, etiam ſupra Muſas accubuerunt. Inter hos è Galeni civiâ ſenator Lati-clavius, qui multa ſuper menſam, quod medico non indecorum, ſeriæ diſputationis intergreſſu de temperantiâ, de cibi potúſque parſimoniâ, de vitæ longitudine per cenarum brevitatem conciliandâ, eruditè diſſertabat. Ain' verò tu hæc? inquit ille primi ſubſellii conviva, & ita ſe rem habere aſſeveratè affirmas, & ſeriò? Seriò, ait medicus, vir optime, ſeriò hæc à me dicta, & verè: Quòd ſi ita eſt, inquit optimas, de me quid tibi videtur? canos jam vides & declivem ad capulum ætatem, quādo jam ipſis quinquaginta annis aërem hunc hauſi. Enimvero dic, ſi, ut ſeriò judicatóque exiſtimas, breviores mihi cenas inſtruam, num longiorem tu mihi vitam pollicebere? Polliceor, ait medicus, & pro naturâ vadimonium ſubeo fidenti ſtipulatione. Bene habet, inquit ſenex, vadem te capio. Sed ut tabulas legitimè conſignemus, quot mihi annos promittis ab hac quotidianâ in gulam injuriâ? Neque enim ego velim tam violenter genium fraudare ob pauculos annos & cum dicto capax cryſtallinum impiger perhauſit. Medicus ubi adhuc tam vegetum vidit: Decem, inquit, annos ſpondeo huic tuæ tam virenti ſenectæ, ſi tamen norit illa ſibi frenos ponere, minus eſſe, parciùs bibere, citiùs deſinere, ante ſaturitatem cenas abrumpere. Ad quæ promptiſſimè Bitias ille: Vnam, inquit, ſolùm annorū decadem ego indipiſcar tam violentâ cenarum lege? Apage tu ſis cum tuâ hac ſponſione. Non paciſcor. Quid? unicum ego decenniolum vitæ adjiciam, & mihimet ipſe quot diebus moriar? præſtat quotidie vivere, nec mortem pavere, quandocumque tandem ſeriùs aut citiùs adfuturam, Verba illius ſunt: Jaces nit mehr als vmb zehen Jahrle zu thuen / so schenck nur rund ein. Audit mors iſta annuitque, & pòſt paullò poculum propinavit, in quod priùs ructavit ipſa. Hi viri florē ætatis non abſtinentiâ & jejuniis, ſed intēperantiâ & deliciis corruperunt. Veriſſimi ſunt etiamnum veteres Trochaici:

*Plurimos fecêre morbos multa menſæ fercula;*
*Plurimos curare morbos novit abſtinentia.*

Vide Gellium l.13. Noct. Attic. c.11. Ibi convivarum non pauciores tribus, non plures novem invitandos aſſerit.

Idem l.1. c.15.



Laudent alii auream vitæ aquam, lapidem Bezoar alii extollant, elogium ſcribant alii auro potabili; ego abſtinentiam pharmacum pharmacorum nobiliſſimum pronuntio. Quis autem abſtinentię modus, quomodo jejunandum ſit, exorſi ſumus dicere. Ad illa quinque puncta ſuperiùs explicata ſextum addimus: Die jejunii *Refectiuncula modica ſub noctem permiſſa*. Quid in hac obſervandum, porrò diſſeremus.

## §. I.

Eſt qui quærat: Quo jure die jejunii refectiuncula (collationem vocant) veſperi paſſim ſumitur? Lex nihil ſuffragatur, Commune jus addicit. Nam vera jejunii ratio eſt, ſemel in die comedere. Quas ergo priſcas conſuetudines, quæ jura producemus? Non negamus confitentes rei, nos nullis teſtimoniis, nec legibus, nec tabulis, nec priſcis ritibus uti, ſed ſolâ, non adeò priſcâ, jam tamen pervulgatâ & receptâ conſuetudine.

Refectiuncula modica ſub noctem permiſſa, receptâ conſuetudine permiſſa;

Hoc igitur hac in re primum ſit: Die jejunii collationem (cum vulgo loquimur) ſub veſperam admittere, permiſſum & licitum.

Secundò: Ea eſt hæc permiſſio, ut ſuum liceat pani vehiculum adjungere potum. Nemo Theologorum hîc reclamat. Aſſertio nimium ſevera eſt, quæ vetat alibile aliquid, ſive quod nutriat, in veſpertinam hanc refectiunculam admittere: Nihil hîc noxæ metuat conſcientia. Quòd ſi religioſæ familiæ hac in re ſint auſteriores, laudamus; ſuum illis jus eſto. Ceteris omnibus panis & congruus illi potus hoc tali veſpere conceſſus. Sed quantum panis, dices, quantum potûs?

Poteſtque potus adjungi.

Tertiò: Hîc certè aliquid ægrè præſcribi poteſt. Theologi omnes ad loci conſuetudinem nos ducunt. Alicubi panis duorum nummulorum refectiunculæ illi ponitur, minus alibi, pluſculum alio loco concedi ſolet. Quòd ſi res ad libellam examinanda ſit, aio panem trium aut quatuor unciarum, qui ferè crucigero venditur, in collatitiam hanc cenulam adhiberi poſſe. Liberalis, putem, conceſſio. Niſi cùm Montanus venter adeſt, homo plurimi cibi capax, & manduco inſignis, huic pluſculum indulgendum, & augendæ unciæ. Sed quid ſtatuimus de potu? Vt ſcilicet meminerimus jejunium eſſe, non ſympoſium. Et ratio dictat non admittendum copioſiorem potum, quàm qui conceſſo pani ſufficiat in vehiculum. Sed panis meus, inquis, vehiculum grande deſiderat. Expecta ſis paullulum. Has helluonum non jejunantium potationes infrà tangemus.

Panis triū aut quatuor unciarū adhiberi poteſt ad hāc refectiunculam.

*De quo Iuvenalis ſat. 4. diverſis verſibus.*

Quartò: Ad illud panis & potûs modicum addi poteſt bellariorum aliquid aut fructuum arboreorum: pomum, nuces, aut pirum; aliquid herbularum aut lactuculæ. Sed hæc disjunctivè (ut in ſcholis loquuntur) non collectivè. Aut hoc, aut iſtud aut illud; non ſimul omnia. Sic enim non cenula, non refectiuncula, ſed cena congereretur; quâ quidem ratione nec abſtinentiæ, nec ſanitati, nec temperantiæ foret conſultum. Piſciculus, ſed parvulus, aceto & oleo maceratus ab hac cenulâ non excluditur.

Bellariorū aliquid aut fructuum poteſt addi.

Quintò: Sed excluduntur offæ, placentæ, piſces quamvis frigidi, aliique omnes ejuſcemodi cibi. Sed ut neminis conſcientiam aut valetudinē terreamus. illud indulgentiâ ſanè liberali adjungimus. Eſt homo afflicti aut nauſeantis ſtomachi, cui difficile ſolum panem aridum cenare. Ægrè illum ingerit, non ſine labore digerit. Huic ergo permittimus: E pane aut potu quem ſumere, offam aut juſculū ſibi coquat. Calida, ſtoma-

Excluduntur offæ, placentæ, piſces & alii ejuſcemodi cibi.

ſtomacho gratiora; modò illam, quam ſtatuimus, quantitatem comedendo non excedat. Opſonii calor, jejunii vim non ſubruet. Hæc maligniori ſtomacho permittuntur: Conſuetudo aliis retinenda.

## §. II.

*Auguſt. ad Caſulanum l. ſuprà citato.*

HIc, Lector, parenteſin ſtatuamus. Si de bellariis, quæ illi cenulæ inferri ſolent, ſit quæſtio, cum Auguſtino loquar: Si hac de re meam ſententiam quæritis, dicam è germano pectore quod ſentio. Bellaria omnia, nebulæ dulciariæ, mellea ſcitamenta, liba, tragementa, amygdalæ, ficus, carpeſia ſeu cubebæ, uvulæ paſſæ, & quidquid horum eſt in menſam ſecundam inferri ſolitum, & omne ſacchari variegatum blandimentum, nugæ ſunt meriſſimæ & inſalubres, dulcis fallacia, tyrannis gulæ grata, ſed ſanitati noxia. E medicorum ſcholis res nota eſt: ſaccharum dẽtibus venenum, fellis augmentum, hepatis incendium, ſtomachi non leve nocumentum. Omne dulce ſtomacho inimicum: ſcholæ medicæ ſcitum eſt. Vir doctiſſimus & medicinæ peritiſſimus, cujus non laciniosa, ſed erudita ſcripta veneror, & ſervo cuivis promenda, de dulciariis nebuſis omnibus hanc tulit ſententiam: Bellaria omnia ſtomacho adverſaria, nocumenta certa, bullæ & phaleræ libidinis guloſæ. Stomachus valens & robuſtus hæc non cupit; debilis admittit, ſed cum noxâ, & mali originem ignorat. Hæc bonum ſtomachum corrumpunt, malum non emendant, nec reſtituunt. Vultiſne noſſe bonum ſtomachum? convenientia ſibi & robuſta, carnem bubulam leviter lixam, extimum bovis pedem aceto & cepis inſperſum, conditum, ſecalicium panis fruſtum appetit; hæ illius deliciæ ſunt: ſaccarum & illas fraudes dulciarias valdè averſatur; ſolida quærit, validaque; hinc noſcitur. Malus ac debilis ſtomachus ſuæ quoque naturę competentia ſectatur, quod molle & dulce eſt, amat, & plerumque ſibi nocentia eligit. Cucumeres & pepones, placentas & pultes, ceraſorum & fructuum aliorũ ſomnia colorata expetit, bellaria & ſacchari vaframenta cupidè lambit, ſed in ſuam perniciem maximam. In promptu ſunt rationes certiſſimæ. Quod dixi, medicorum pueri ſciunt quibus hæc ratiocinatio non ignota: Omne pingue & dulce, ſtomacho ac dentibus inimicum, amicum felli; ſed bellaria pleraque omnia maximam partem dulcia, ergo dentibus & ſtomacho inimica. Addo: Si hæc talia cibos alios pręcedant, appetentiam omnem deſtruunt; ſi ſequantur, & in fine ſint, alvum horrendè ſtringunt. Notum nimis apud medicos: Dulcia in fine conſtipant. Felix qui his omnibus carere poſſe, partem ſanitatis æſtimat. Cum Paulo hîc dixerimus: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Veſci quidem bellariis licet, ſed certè non expedit. Qui poteſt capere, capiat.

*1. Cor. c. 6. v. 12. & c. 10. v. 22.*

**Permiſſæ refectiunculæ abuſus aliquot.**

Sed mitto hanc melleam menſæ ſecundæ Rhetoricam, & omnes hos gulæ apparatus; ad varium permiſſæ refectiunculæ abuſum venio. Reverà jejunio non rarò turpiter illuditur. Numeremus ordine, quæ in cenulâ illâ ſumendâ ſolent intervenire vitioſæ conſuetudines & abuſus.

**1. Abuſus.** Abuſus primus: Nimium ciborum & bellariorum apponitur. Nonnumquam menſa refectiunculæ huic parandæ non ſolùm omnigenis bellariis, ſed & cibis frigidis oppletur. Adeſt lactuca, non deſunt piſces aſſi, lixi, aceto & oleo conditi, carcere farinaceo incluſi: vinum varium & multiplex, Rhenanum, Creticum, Falernum. Num iſtud eſt jejunare, ô viri? Atque hoc videas in menſis etiam eorum, qui vetare talia deberent, & jejunii leges monitis & exemplis ingerere. Quid oviculæ faciant, ſi paſtores audent talia?

Objicias illud Martialis, qui ad lautas cenas ſibi eſuriendum queſtus; *Multum ponitur*, ajebat, *parum ſcinditur*: Ita, inquis, multa quidem apponuntur, ſed non ad omnia mittuntur manus; menſam tragematis opplere, ævi noſtri decorum eſt. Audio, ſed & illud non neſcio, poſſe aliquem etiam ſaturari hinc inde carpendo & vellicando. Deinde in tam opimis cenulis vitra tametſi non maxima toties per menſam obambulant, dum jejunatores illi ægriùs & linguam & pedes moveant. Numquid hoc eſt jejunare? Et ſimul quæro: Num tanta frigidæ alimoniæ & bellariorum varietas ori potiùs ponitur, an oculis? Si oculis, quid opus, obſecro, tot ferculorum ſpectaculis tam multiplici eſcariâ pompâ die jejunii? Numquid hoc eſt cum Iobo *pœnitentiam* agere *in favillâ & cinere?* Sin autem ori & ventri tam multum infertur, error luculentus, in gulæ paſcuis abſtinentiam & inediam profiteri. Cum Iſaiâ vociferor: *Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem.*

*Iob c. 42. v. 6.*

*Iſa. c. 58. v. 4.*

## §. III.

**2. Abuſus.** ABuſus ſecundus: Nimium panis & potûs apponitur. Si cui menſura vini detur additis duobus panibus, numquid refectiunculam hoc vocabimus? Vinum, ut ponimus, exſorbetur? unus aut ſeſquipanis minimùm abſumitur, num adhuc fames ſentietur? Dirum omen, ſi hunc hominem pôſt cenulam tam liberalem etiamnum torqueat inedia. Hîc veteri jambo licebit uti:

*Hemina vini, unúſque panis ſat replent.*

Hieronymus olim ad Nepotianum ſcribens: *Fortiſſimum*, inquit, *jejunium eſt aqua & panis.* Ego forſan rectiùs: Fortiſſimum jejunium eſt menſura vini, & duplex panis. Non abſurdè quiſpiam de jejunatoribus ejuſcemodi dixit: Vultus illorum conſidera, rubent, ardent ut igniti Seraphim; Accenſam verè dixeris hanc eſſe pietatem. O homines non tam Spiritu ſancto quàm pio vino madidos! *Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem.*

*Verè collatio graſſa ut loquuntur.*

*Iſa. c. 58. v. 4.*

**3. Abuſus.** Abuſus tertius: Mala hujus cenulæ condimenta, luſus. Conveniunt nimirum admiſſionis primæ amici cenulam eſurialem unà ſumpturi, & ne pii colloquii deſit materies, chartulis utuntur pictis, aut fritillum, teſſeras, alueum luſorium movent, & quidem eo animi ardore, ut calente luſu ad decimam noctis, ad undecimam, imò etiam ad noctis umbilicum, ad ipſam duodecimam & ampliùs devotiſſimè pervigiletur. Et hic quidem ſeſtertios complures, ille florenos aliquot, hic aliquot philippeos vel aureos perdit: nonnumquam centum aut ducenti philippei in luſum tam pium conferuntur. Heus viri, numquid hoc eſt jejunare? Equidem hoc ritu cereolus Deo, ſatanæ fax accenditur. Hoc quidem eſt divo Leonardo imagunculam ceream offerre, & eidem aliquot ceræ libras eâdem operâ ſublegere. Hoc quidem eſt aliquid thuris templo donare, & argenteum thuribulum furari. Mala eſt ſacrificii & furti mixtura; nec bene conveniunt luſus & jejunium. *Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem.*

*Loco citato.*

**4. Abuſus.** Abuſus quartus: Non ſatis eſt aridam & frigidam eſſe cenulam, ſi nimis ſit copioſa. Sunt qui putent parum intereſſe, ſi cenulæ huic inferantur cibi, modò ii ſint frigidi. Ita contigit ut ad curionem peregrinus quidam reviſeret cenæ tempore. Curio paterfamilias in menſâ piſces eſitans hortabatur familiariſſimè, ut feſſus è viâ hoſpes accumberet, & unà cenaret. Ille cunctari & gratias agere, cauſſam etiam addere, eo die in oppido ſuo jejunium ſervari magnis religionibus. Cui paterfamilias iterum: Et en, inquit, piſces jejunioſis diebus non ingratos; admove manus; à foco recentes ſunt. Ad quem hoſpes: Veſci calidis, inquit, jejunium vetat; frigidos non rejicerem. Si quidem, ait paterfamilias, de hoc agitur, heus puer, feneſtras pande, & hos piſces aëri expone: expedita res.

O con-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

O conſcientias malè materiatas! ô religiones parum eruditas! Quaſi verò jejunii nihil interſit, hoc illudve comedere ferculum, modò comedas frigidum. *Nolite jejunare, ſicut uſque ad hanc diem.*

*Loc. citato.*

Epaminondas Thebanus, teſte Plutarcho, à fortunis opulentus, manu ſtrenuus, conſilio promptus; tam felix præliis, ut cum eo nata & extincta potuerit videri gloria Thebana. Magnus vir iſte frugali menſâ, & cibo modico uti conſueverat. Invitatus ad cœnam à vicino cive, comparuit lætus conviva. Cùm autem ſupra modum opiparè haberetur, ſtomachatus graviter Epaminondas, Domuitionem parabat: & ad convivatorem converſus: Ego te, inquit, ſacrificare putabā, non luxuriare. Ita profectò jejunioſa noſtra cenula non cibatum Paſchatis, non Bacchanalia repræſentet. Tertullianū ita locutum exaudio: ſeras & aridas eſcas ſacrificia Deo eſſe grata. Quod veſperi permittitur, ſit cenula, ſit refectiuncula modica. Longè melius,

*Plutarch. tom. I. Moral. mihi pag. 350.*

*Parvulo natura vivit, & parabili bono.*

*Troch. vet.*

## CAPVT V.

### *Quænam Iejunii emolumenta.*

EX antiquiſſimorum Patrum curiâ Cyprianus de abſtinentiâ Chriſtianâ ſic pronuntiat: *Iejuniis vitiorum ſentina ſiccatur.* Fructus nobiliſſimos parit jejunium. Et hoc inquies, expectabam audire, quid universè prodeſſet abſtinentia. Nam gratis eſurire quis velit?

*Cypr. de jejunio & tent. Chriſti.*

Nos quidem jam ſuprà non ſimplex emolumentum abſtinentiæ percenſuimus. Hîc plura ſimul ſed compendio ſub oculos ponemus. Illud tamen præfari oportet, in rebus præſertim, quæ ad mores ſunt, ſæpiſſime idem & cauſſam & effectum eſſe. Exempli gratiâ. Parentes filium amandant ad ſcholas. Quæ cauſſa? Eruditio Cuperent nimirum primam filii adoleſcentiam bonis artibus imbui, ut ſuccedens adoleſcentiæ virilis ætas doctrinâ jam partâ frueretur. En, Eruditio parentibus cauſſa finalis eſt, quæ puerum ſcholis applicat. Ita puer in ſtudia mittitur, diſcit, proficit adoleſcit inter muſas, non ſine magnis parentum impendiis. Quis tandem tot ſumptuum effectus? Eruditio. Poſt aliquot annos Medicus, Iuriſconſultus, Theologus evadit. Ita quæ aliquando cauſſa fuit finalis, nunc effectus eſt.

Eadem hîc ratio. Pleraque illa quæ perſuadent, ut ineamus jejunia, jejuniorum ſunt effectus, de quibus in primâ parte aliquid mentionis factum. Hîc è plurimis jejunii emolumentis ac fructibus, novem dumtaxat, idque breviter ac ſummatim recenſebimus.

Iejunii emolumẽta novem.

§. I.

PRimus Iejunii fructus, & emolumentum nemini non expetitum, *valetudinis conſervatio & reſtauratio.* Experientia teſtatiſſima hîc loquitur; & extra controverſiam eſt, omnes ferè morbos originem ſuam inde trahere, quòd plus ingeratur quàm concoquatur. Omnis pæne invaletudo à repletione. Vetus illud multò veriſſimum:

1. Valetudinis conſervatio & reſtauratio.

*Morbos parit plures repletio, quàm fames.*

*Troch. vet.*

Pulcherrimè dixit & veriſſimè Demetrius Epagomenus: Ἀδδηφαγία καὶ πολυποσία πλείστων νοσημάτων αἴτια. Cibi potúſque copia, morborum plurimorum cauſſa. Quâ in re vel ipſis oculis faciemus fidem. In corpore humano quatuor ſunt humores principes, ſanguis, atra bilis, flava bilis, phlegma ſeu pituita. Impurus aut nimius ſanguis pabulo copioſo certè non emendabitur. Atram aut flavam bilem, ſaccharum, mel, butyrum, omne dulce, omniſque largior cibatus non minuet. Ad expugnandum phlegma, quod communiſſimum, & potiſſima cauſſa morborum, jejunio nihil eſt præſtantius. Hic namque genius eſt naturæ: dum ea cibi aliquid habet, fæces non lambit; cùm parum aut nihil eſt cibi, pituitam & phlegma invadit, diſſipat, expellit. Certa hîc experientia. Venuſinus vates locupletiſſimus teſtis monendo canit:

*Editus eſt in 8. Pariſiis anno 1558. ad Mich. Palæologũ Græcè & Latinè de Podagrâ, &c.*

*Accipe nunc, tenuis victus quæ quantáque ſecum*
*Afferat.————— at ſimul aſſis*
*Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,*
*Dulcia ſeſe in bilem vertent, ſtomachóque tumultum*
*Lenta feret pituita. Vides ut pallidus omnis*
*Cenâ deſurgat dubiâ*

*Horat. l. 2. ſat. 2. med. Cena dubia, in quâ cupediæ tã variæ, ut dubites, quid potiſſimùm eligas eſui.*

Nil verius. Oraculum ex tripode. Pharmacum pharmacorum omnium abſtinentia & jejunium.

Secundus Iejunii fructus, *Longævitas*: è primo naſcitur. Huc mille teſtes poſſim ſiſtere, qui hoc ipſum affirmatiſſimè pronuntient. Longa vita, ubi minùs longa menſa; multi anni, ubi pauci cibi. Illi hominum, qui ſeveriſſimè jejunârunt, plerumque diutiſſimè vixerunt. At edones illi, & manducones, & bibones, qui plurimum vorarunt, annos vitæ pauciſſimos numerârunt: Vltimi è menſâ, primi in tumbam. Abundans paſtus non facit longævum. Hinc illud, quod diximus, Italorum; qui multùm † vult comedere parum comedat.

2. Longævitas.

*Sit talis qui vivat ad annos 70. potuiſſet ad annos 100. per vivere.*

*† Multùm, hoc eſt, diu.*

Cœnobium eſt in Sueviâ ſacrarum Virginum paupertinum, ubi tenuiſſimè vivitur, & creberrimè jejunatur, ibi tamen ſexagenariæ & ſeptuagenariæ inter ſenes non numerantur. Ego ipſe teſtis ſum, quamvis malè oculatus. Cùm enim ad illud Virginum Collegium reviſerem, amitam ſalutaturus, quæſivi ex eâ, quot annos in eo Pharthenone poſuiſſet? Quadraginta, inquit. Quòd ſi ſuos quis oculos interrogâſſet, virginem viginti quinque annorum dixiſſet. Hîc ego: Gratias age, inquam, cælibi vitæ, ô mea ſoror, conjugium & crebrius puerperium te pridem ſepeliiſſent. Eccleſiaſtici effatum non fallit: *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.*

*Eccli. c. 37. v. ult.*

*Plurimæ dapes diverſæq; haud alunt, ſed inquinant.*

Tertius Iejunii fructus: *Carnis edomatio.* Sed num ea bono Numini placet? num expedit jejuniis ſic carnem atteri? Interrogabo & ego vos unum ſermonem: crucifigi *carnem cum vitiis & concupiſcentiis*, an Numini placet? Num ille placuit, qui dixit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo?* Si quidquam eſt, quod modeſto ac tacito aggreſſu carnem ſpiritui ſubjiciat, profectò abſtinentia & jejunium eſt. Quàm verè Cyprianus: *Iejunium*, inquit, *omnem carnis rebellionem edomat, tyrannidem gulæ ſpoliat & exarmat. Iejuniis petulantia marcet, concupiſcentiæ languent, extinguitur ardentis Ætnæ incẽdium.*

3. Carnis edomatio.

*Gal. c. 5. v. 24.*

*2. Cor. c. 9. v. 27.*

*Cyprian. de tent. & jejunio Chriſti.*

Narrat Pelagius interpres Græcus ad religioſum ſenem veniſſe juvenem, qui ſeipſum accusârit dixeritque: Mi Pater, mea me caro trahit ad vetita; nec dæmon feriatur, ſuggerit impura: non ſum ferendo tam pravas cogitationes. Cui ſenex: Hæc talia, inquit, mihi numquam negotium exhibuerunt. Iuvenis impatiens reſponſi mox abiit, & in alterius aures querelas ſuas evomuit. Alter non imprudens: Quæſo te, ait, mi frater, ne iſtuc ægrè tuleris; ſaniore, quàm exiſtimes, ſenſu hoc dictum. Tu redi ad hunc ipſum ſenem & veniam roga, ſimúlque dicti explicationem pete. Obtemperavit juvenis, & rediit ad ſenem. Qui oratione placidâ: Ex quo, ait, monachus ſum, nec panis, nec aquæ, nec ſomni umquam ſatis admiſi. Hinc ego talibus cogitationum moleſtiis non urgeor. Simile quid reſpondit Macarius, ut ſuprà demonſtratum eſt. Iejunium cicurem & manſuetam reddit carnem.

§. II.

QVartus jejunii fructus, *Cacodæmonis victoria.* Chriſtus clariſſimè; *Hoc genus*, inquit, *non ejicitur niſi per orationem & jejunium.* Neſtevontas, homines ſiccos & ſobrios

4. Cacodæmonis victoriâ.

*Matt. c. 17. v. 21.*

*Marci c. 9. v. 29.*

ſobrios odit & fugit dæmon, non catillones, non comeſtores, non gulæ proceres, non edones & bibones. Vitellius, ut ſuprà demonſtratum, in imperio Romano turbas & mala magna moliturus ferebatur. Has formidines ut vanas Galba ſpernens: Quid Vitellius, ait, helluo, & patinarius miles moverit? Ventri deditus eſt; ideo timendus non eſt. Nec certè dæmon popinones & abdomini natos formidat, ſed famelicos, abſtinentes, jejunos. Non timeo Craſſos, ſed Flaccos, ait Tullius. Bene eſt diabolo, ubi multum madidi luti eſt. Nimirum porcus in luto ſicco non ſuaviter volutatur.

5. Sēſuum omnium tam exteriorum, quàm interiorũ ſerenatio.

Chryſ. ho. 1. in Gen. loco jam ſupra laudato.

Quintus jejunii fructus, *Senſuum omnium tam exteriorum, quàm interiorum ſerenatio.* Qui rectè precari, legere, meditari, aliud quid attentè cupit facere, cibo non oppletus, ſobrius ſit. Quo ſenſu Chryſoſtomus: *Iejunium*, inquit, *animæ noſtræ alimentum eſt, leves ei pennas producit, ut in ſublime feratur.* Idcirco Eccleſia in eos dies jejunia decrevit, quibus Chriſtianam pietatem ardentiùs & prolixiùs vult orare.

Staniſlaus Roſcius in vitâ Hoſij c. 19.

Staniſlaus Hoſius Senator purpuratus omnes eſuriales ferias ab Eccleſiâ dictas accuratiſſimè obſervavit. Iámque adultæ ſenectutis princeps perſuaderi tamen non potuit, ut de jejuniis tam ſeveris quidquam remitteret. Is namque ſuaſoribus feſtivè ac hilariter: Neſcitis, inquit, quid me ſollicitet; pervellem diu vivere. Nec enim legem ignoratis: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* In cælo pater eſt, in terrâ mater Eccleſia. Pater & mater volunt, ut jejunem, quò meliùs orationi vacem. Non obſequar his parentibus? Abite, nil muto.

Exod. c. 20. v. 12.

Ad omnes functiones, præſertim ſpiritûs, optima præparatio jejunium. Thomas Aquinas quandocumque in ſacris paginis ſententiam obſcuriorem in luce non valuit ponere, ad preces & ad jejunium ſe vertit, ut ſibi facilem interpretationem dicti obtineret. Obtinuit. Abſtinentia ſerenat ſenſus & intelligentiam, hominémque ad omnia munia facit expeditum.

6. Noxarũ abolitio.

Sextus Iejunii fructus, *Noxarum abolitio.* Tam Ninivitę quàm rex Achabus grandia apud Deum nomina contraxerunt, debitores ſanè magni. Verùm ſubmiſſo ac lugubri jejunio propitiârunt ſibi Numen, & ære alieno tam immani exierunt, recepti in gratiam. Ita Hebræi Iudithæ ac Eſtheris ævo offenſiſſimũ peccatis Deum, jejuniis denuò placârunt. Eam ob cauſſam Baſilius nihil veritus eſt dicere: *Pœnitentia ſine jejunio otioſa & infrugifera eſt, per jejunium ſatisfacito Deo.* Baſilii verba confirmans Ambroſius: *Iejunium*, inquit, *culpæ mors, & remedium ſalutis.* Ejuſdem prorſus animi Hieronymus: *Saccus & jejunium*, inquit, *arma ſunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum.* Omnium Patrum ſententias confirmatiſſimè proponens Auguſtinus: *Nemo*, inquit, *pro laude humanâ, ſed pro indulgentiâ jejunet.*

Baſil. orat. 1. de jejun. Amb. l. 3. de Eliâ & jejunio c. 3. Hieron. in c. 3. Iona. Aug. ſerm. 60. de Tempore.

Iejunium & noxarum & flagitiorum ſpongia. Et quanta, mi Deus, per annum peccamus? Nos enim velut temerarii ſympoſiaſtæ tabernam occupamus, & pergræcamur, dum etiam animum in flagitioſam hanc compotationem inſumamus. Tandem adeſt hoſpes & unumquemque ordine compellans: Heus compotor, inquit, ſolve ſymbolam, ſolve, ſolve. Tot nomina contraxiſti noxis: en tabulam nigram debitorum ac noxarum indicem; ſolve ſymbolam, & redde quod debes. Ora & vigila, ora & jejuna: pœnitentia ſine jejunio infrugifera. Iejunium deletio peccatorum.

## §. III.

7. Pœnarũ quæ peccatis debentur remiſsio.

Matth. c. 3. v. 7. 8. & 9.

SEptimus Iejunii fructus, *Pœnarum, quæ peccatis debentur, remiſſio.* Ioannes Chriſti prodromus Phariſæos ad ſe confluentes inamœnis planè titulis ſalutans: *Progenies viperarum*, inquit, *quis demonſtravit vobis fugere à venturâ irâ? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.* Non ſolùm pœnitentiæ fructus exigit, ſed dignos. Inter hos maximè ſemper habitum eſt jejunium, fructus pœnitentiæ digniſſimus. Rex Achab flagitiorum pœnitens, *operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco.* En jejunium cilicio & ſacco veſtitum, dignum pœnitentiæ fructum.

3. Reg. c. 21. v. 27.

Afflictiones ſunt peccati pœna.

Quid, quæſo, afflictiones omnigenæ, quid quotidianæ ſunt miſeriæ, niſi ut plurimùm peccati pœnæ? Cùm igitur quotidie delinquamus, & æs alienum grande conflemus, & ipſam debeamus animam, Deus ipſe ſibi ſolutionem expedit. Hinc afflictio ubique plurima. Parentibus moritur filiolus chariſſimus, filiis moriuntur parentes; huic eripitur pecunia, huic honor, huic valetudo, huic vita. Quid, oro, hæc ſunt omnia niſi peccati ſtipendia? Quotidie peccamus, quotidie punimur. Sed enim hæc ſupplicia ſuaviter prævertere liceret voluntario jejunio.

Iejunium cur magni faciendum.

Dic mihi, mi Lector, num malis die integro torqueri flāmis, aut annis quinquaginta jejunare? Theologus hujus ævi aſſerit jejunium vel ideo maximi faciendum, ſi vel unicum diem ſubtrahat futuri in ignibus ſupplicii. Et cauſſam adjungens: Illorum, inquit, in orbe altero cruciatuum pœna, quæ uno die perſolvitur longè major eſt quàm tolerantia jejunii centum annorum. Cunctarer hæc dicere, niſi ſequerer præeuntem publicis ſcriptis. Iejunium ſolvit pœnas peccatis debitas.

8. Beneficiorũ impetratio.

Octavus Iejunii fructus, *Beneficiorum impetratio.* Anna per jejunium Samuelem filium, Sara per jejunium impetravit cacodæmonis fugam. Oravit & jejunavit Sara, & tam ipſa quàm omnis ejus domus à diabolo libertatem pleniſſimam, aſylum gratiſſimum obtinuit. Iam ſuprà docuimus impetrandi compendium. Qui ſeriò vult petere, & certò cupit obtinere quod petit, holocauſto Deum ſibi devinciat, hoc eſt, animum, corpus, & bona exteriora ſuis votis impendat. Animus orationem, corpus jejunium, crumena pecuniam expediat, & ſuis conſtabit partibus holocauſtum. Ita homo ſe totum impendit, ita facilem exorabit Deum, dat namque ex omni eo, quod eſt, & quod habet. Exempli gratiâ, triduo jejunat; ſex diebus preces perpetuat, novem florenos in egentes erogat. Præclarum holocauſtum, & ad impetrandum aptiſſimum. Reverà quotieſcumque tam in priſcâ quàm novâ lege arduum quid & grave à Deo petendum erat, toties ea petitio initium faciebat à jejunio. Idem Eccleſiaſtica docet hiſtoria. Ita Imperatores auguſtiſſimi Othones, Caroli, Zenones fecêre. Deus vult totum hominem ſibi ſupplicem proſterni. Suos ad hoc ipſum impigrè hortatus Chryſoſtomus: *Iejuna*, inquit, *quia peccaſti; jejuna, ut non pecces; jejuna, ut accipias; jejuna ut permaneant, quæ accipiſti.* Beneficiorum potens eſt impetratio jejunium.

Salvo ſpondia. Chryſ. ſer. 1. de jejun.

9. Tā gratiæ ac meritorum quàm gloriæ inſignis acceſsio.

Nonus Iejunii fructus, *Tam gratiæ ac meritorum quàm gloriæ inſignis acceſſio.* Summi promeriti eſt jejunium & abſtinentia, quia hîc ſæpè difficillima victoria. Ad alia debellanda vitia rectè ſuadetur fuge. Abi, recede, fuge dilecte mi, fuge. Vis impuros Veneris ignes vincere? Suſpecta, periculoſa conſortia fuga. Luxuriam vicit, qui fugit. Vis vincere ſuperbiam? Fuge pompam; honores te ambiant, non tu ipſos. Vis vincere avaritiam? Fuge, quantum potes, pecuniam; uxori familiam committe. Vis vincere gulam? ſolâ fugâ non obtinetur palma. Quotidie ſemel iterúmque in conſpectum hoſtis veniendum eſt; cibus ac potus quotidie tractandus. Et hoc difficilem reddit victoriam. Tantò autem glorioſior triumphus, tantóq; erit nobilior corona, quantò difficilior præceſſerit lucta; Major labor, majus promeritum. Hinc plerumque fortior

fortior eſt, qui gulam expugnat, quàm qui crumenam. Quod vel inde liquet: Dives ſi avarus non ſit, ſtipem, quam erogat, non ſentit; ab oratione quam fundit, aliquid ſuavitatis haurit, nec etiam ſentit lucroſas vigilias; ſed certè ſentit famelicum jejunium. Idcirco illud majoris eſt promeriti, quia moliminis ac tolerantiæ ſeverioris. Atqui ſcimus gratiam & gloriam pari paſſu progredi: quantò enim hîc magis increſcit gratia, tantò magis illic augetur gloria. Præſentem multiplicas gratiam? futuram amplificaſti gloriam. [Aug. ſerm. 61.] De hoc Auguſtinus tam eruditè quàm ſuccinctè diſſerens: *Iejunium*, inquit, *remedium eſt aut præmium, hoc eſt, aut indulgentiam peccatorum, aut præmium cœleſtis regni acquirit*. Gratiam & gloriam promeretur.

Chriſtus de præmio verba faciens: *Tu autem*, inquit, [Matth. c. 6. v. 17. & 18.] *cùm jejunas, unge caput tuum, &c. & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*. En jejunii merces. Idcirco [Baſil. ho. 2. de jejunio.] Baſilius ad gratiam & gloriam ampliorem promerendam excitans: *Angeli ſunt*, ait, *qui in ſingulis Eccleſiis deſcribunt ac recenſent capita jejunantium. Vide, ne ob brevem edendi voluptatem priveris Angeli recenſione, & teipſum apud eum, qui recenſuit exercitum, obnoxium facias deſertoris crimini. Beati qui nunc eſuriunt.* [Matth. c. 5. v. 6.]

## CAPVT VI.

### *Quantum à jejuniis priſcorum differant noſtra: Iejunium quomodo ſanctificandum.*

IVSSV divino Ioël ferias eſuriales promulgans: [Ioël. c. 1. v. 14.] *Sanctificate*, inquit, *jejunium, vocate cœtum, congregate ſenes omnes habitatores terræ in domum Dei veſtri, & clamate ad Dominum*. Voluit nimirum Deus non jejunari tantùm ſed jejunium etiam ſanctificari. Hujus præconium fecit propheta (*ſanctificate jejunium*) ut omnibus Dei voluntas innoteſceret.

Iulianus Imperator, licet Chriſti ſacris renuntiaverit, animo tamen Chriſtianæ temperantiæ ſcintillas aluit; nam eunuchos, tonſores, cocos ab aulâ exturbavit. Et cauſſam adjungens: Eunuchis, inquit, mihi non ampliùs eſt opus, conjuge jam mortuâ. Vnicus tonſor pluribus ſufficiet. Cùm nulla palato arrideant bellaria, cocorum turbam non deſidero. Hîc aliquid erat jejunii, ſed jejunii non ſanctificati.

[Greg. hom. 16. in Evãg.] De jejunio ſanctificato diſſerens Gregorius: *Illud jejunium*, inquit, *Deus approbat quod ad ejus oculos manus eleemoſynarum levat, quod cùm proximi dilectione agitur, quod pietate conditur*. Vt ergo verum ſit jejunium, ſit ſanctificatum. Quomodo autem ſanctificandum ſit, dicemus. Priùs tamen exponendum, quantùm à priſcò jejuniorum ritu receſſerimus.

§. I.

[1. Diſcrimen inter ſuperioris ævi & noſtrum jejunium.] PRimum diſcrimen inter ſuperioris ævi & noſtrum jejunium. Majores noſtri die Mercurii, Veneris, & in Occidente etiam ſabbato, non tantùm carnibus abſtinuerunt, ſed verè jejunârunt, idque quavis hebdomade toto anno. Quàm facili nos lege vivimus, ſolo Veneris & ſabbati die à carnibus temperamus! [Origenes in Levi. ho. 10.] Priſcæ conſuetudinis teſtis Origenes: *Habemus*, inquit, *quartam & ſextam ſeptimanæ diem, quibus ſolenniter ex more veteri jejunamus*. Veſtigium tam priſci moris in cœnobiis remanſit. [† Paulus Lay. Theol. moral. l. 4. tract. 8. c. 1. & 2. n. 4. & 7.] Olim in Quadrageſimâ, præſertim in hebdomade ſanctâ, longè ſtrictior ſervabatur abſtinentia, quàm hujus ævi admittat licentia. Olim etiam Adventus Domini quotidianis jejuniis celebrabatur †.

[2. Diſcrimen.] 2. Iejuniis veteres jungebant vigilias; nam noctu ad precandum in templo convenerunt. [Chryſ. hom. 25. in Acta Apoſtolorũ.] Chryſoſtomus locuples teſtis: *Eccleſia Dei*, ait, *mediis ſurgit noctibus, ſurge & tu*. Romanus Antiſtes Leo jejunia quatuor temporum concionibus frequentans: *Quartâ igitur*, inquit, *& ſextâ feriâ jejunemus, ſabbato autem apud beatum Petrum Apoſtolum pariter vigilemus*. [Leo ſerm. 2. de jejunio decimi mẽſis & c. ll.] Nos toto jam anno, unâ ſolùm alterâve nocte Naſcentis & Reſurgentis Domini aliquantulum vigilamus. Heu quàm proficimus! Crebræ quidem ſunt apud nos pervigilationes nocturnæ, ſed ad pocula, ſed ad choreas, ad abacum luſorium & ad teſſeras. Ceterum jejunia rara, vigiliæ nullæ.

3. Majores noſtri jejunârunt pæne integro die uſque ad horam veſpertinam tertiam, imò temporibus [3. Diſcrimen.] primis uſque ad ſextam ſub crepuſculum ad primam facem, præſertim quadraginta diebus verni jejunii. Sunt profectò etiamnum inter Chriſtianos tam in cœnobiis quibuſdam, quàm in domibus profanis, qui priſcum jejunandi ritum imitentur. Mos autem uſitatus hoc ævo mitiſſimus eſt, ſub meridiem circa undecimam horam, aut duodecimam cibos ſumere. Quod quidem reipsâ prandium, ſolo nomine cena eſt.

4. Majores noſtri ſemel dumtaxat de die curârunt [4. Diſcrimen.] ſe cibo, idque ſupra modum ſobriè. Temperatæ fuerunt eorum modicæque potiones. Nonnullorum hodie lautior eſt refectiuncula, quàm illorum fuerit unica cena. Nos prandium plenum accumbimus; veſperi, ſi quid prandio deceſſit, compenſamus. Quàm autem hoc tolerabile; nihil hîc conqueri, legis ſeveritatem neutiquam accuſare poſſumus. Nec refert ſi quam veſperi vel manè ſentiamus eſuriem; ſine his impendiis hæc ſacra non conſtant: tantò enim major eſt vel plebeii prandii voluptas, quantò moderatior vel nulla præceſſerit cena.

5. Majores noſtri non carnibus ſolùm, ſed & lacte, ovis, caſeo, imò etiam piſcibus, omni aromate, [5. Diſcrimen.] vino, aquâ mulsâ, omnique potu, qui ebrium reddit, abſtinuerunt. Edulia illorum erant herbæ & olera, cicer & lenticula, panis, ſal, & aqua. Hoc omne fuit choragium menſæ. Chryſoſtomus frugalitatis hujus è cathedrâ mentionem faciens: *Quæ utilitas*, inquit, *cùm avibus quidem & piſcibus abſtineamus, fratres verò mordeamus, & comedamus?* Eodem ſenſu dixit Baſilius: *Carnes* [Baſil. ho. 2. de jejunio.] *non edis? à vino abſtines? ſed ab injuriis tibi non temperas. Ergo jejunantes tam piſcibus quàm vino carere voluerunt. Nos neutro caremus cùm jejunamus, niſi paupertas id nobis perſuadeat.*

6. Majores noſtri nullos vel certè pauciſſimos à jejunii legibus ſolverunt. [6. Diſcrimen.] Nunc plurimis datur exceptio, & legis fit gratia, quam vel petunt, vel extorquent. De ſui ævi jejunio Baſilius: *Omnes pariter*, inquit, [Baſil. ho. 2. de jejunio.] *audiunt edictum. Ne quis igitur ſemet excludat à numero jejunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ cenſentur.*

Tam rigidam priſcorum abſtinentiam conſiderantes, non ſine ratione dicimus: Olim ſeria erant jejunia, noſtra nunc jocus & ludus, umbra ſunt jejunii. Sileamus ergo, & contenti noſtris legibus vivamus; ſed & hoc agamus, ut, quod abſtinentiæ deeſt, orationibus & eleemoſynis ſarciamus. Eam ob cauſſam vociferatur Ioël: *Sanctificate jejunium*. [Ioël. c. 1. v. 14.] Inediâ corpus affligere, famem perferre ſolâ conſuetudine, modicâ religione, pauperis oblviſci, injurias recoquere, jejunium eſt, ſed non ſanctificatum. Et iſtud hujus capitis pars altera eſt.

§. II.

PEr Zachariam Deus olim queritur: *Cùm jejunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo per hos ſeptuaginta annos, numquid jejunium jejunaſtis mihi?* [Zach. c. 7. v. 5.] Non placet Deo jejunium niſi ſanctificatum. Paulus & Barnabas ceterique Chriſtiani orant cum jejunatoribus. [Actor. c. 14. v. 22.] Anna prophetis *obſecrationibus & jejuniis ſervit die ac nocte*. [Luc. c. 2. v. 37.] Sanctificandum eſt jejunium. Nam *qui cibis*, ait Iſidorus, [Iſid. ſuper Amos.]

rus, *non vitiis abſtinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adeſt, & cibus deeſt.* Saluberrima eſt præceptio, quam Gregorius inſtillat: *Illud jejunium Deus approbat, ſi hoc quod tibi ſubtrahis, alteri largiaris, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.* Quod præclariſſimè Leo ſæpius inculcans: *Noſtrum,* inquit, *jejunium miſericordiis pauperum ſuppleamus. Impendamus virtuti, quod ſubtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis, abſtinentia jejunantis.* Sanctificate jejunium.

*Greg. ho. 16. in Evang. mihi pag. 38.*
*Leo ſerm. 2. de jejunio decimi mẽſis.*

*Vixit anno 440. ſcripſit ſermones 176.*

Petrus Chryſologus Ravennas Epiſcopus, quem crebriùs hîc laudo, vir eruditiſſimus, eleganter jejunii ſanctificationem ita explicat: *Fratres, eſurit jejunium, ſitit jejunium, alget jejunium, deficit jejunium, quod pietatis cibo non paſcitur, quod potu miſericordiæ non rigatur, quod eleemoſynæ operimento non tegitur. Quod terris eſt ver, hoc ſcimus miſericordiam eſſe jejunio. Iſtud re ſimili monſtramus. Templum aliquis ingreditur, in eo penſilem argenteam lampadem, metallo gravem, miri operis, ſed oleo vacuam miratur & quærit: Vbi cerebrum in capite tam pulchro? vacuæ lampades in templis inutiles, oleum illis & lumen ſit conjunctum. Ita jejunium velut argentum affabrè laboratum, ſed oleum eſt eleemoſyna, lumen oratio.* Bona igitur oratio cum jejunio & eleemoſynâ: *oratione potiſſimum & eleemoſynis ſanctificatur jejunium.*

*Tob. c. 12. v. 8.*

*Petr. Chryſol. ſer. 41. med. & ſer. 42. mihi p. 111. & 113.*

Hoc ille ipſe, quem dixi, Chryſologus Ravennas pluribus elogiis confirmans: *Abſtinentia,* inquit, *eſt hominis prima medicina, ſed ad plenam curam miſericordiæ requirit expenſas. Abſtinentia extinguit febrem, ſed areſacta membra longæ febris incendio, niſi largo infundantur unguento, niſi blandiſſimis rigentur fomentis, niſi juventur medicinæ ſumptu, ad integram ſanitatem redire non poſſunt: ſic jejunium quamvis excludat vitiorum morbos, carnis amputet paſſiones, criminum cauſſas propellat, tamen ſine miſericordiæ unguento, ſine pietatis rivo, ſine eleemoſynæ ſumptu, perfectam ſalutem mentibus non reponit. Iejunium ſanat vulnera peccatorum, ſed cicatrices vulnerum ſine miſericordiâ non emundat. Audi Dominum dicentem:* Date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis. *Iejunium ſingulari cultu evellit vitia, eradicat crimina; ad fructus bonos agrum parat & mentis & corporis: ſed niſi miſericordiæ jecerit fundamenta, non ſerium eſt ſtudium jejunantis. Iejunium eſt ſanctitatis hoſtia, ſacrificium caſtitatis, ſed ſine miſericordiæ incenſo ad divinum non poteſt conſpectum in odorem ſuavitatis aſcendere. Quod anima eſt corpori, hoc miſericordiam conſtat eſſe jejunio: quando jejunium ex miſericordiâ vivit, tunc vivificat jejunantem. Iejunium, virtutum navis, portat quæſtum vitæ, lucrum ſalutis advectat. Sed qui intrat carnis pelagus, ſcindit vitiorum fluctus, inter ſcopulos criminum tranſit, præterit littora paſſionum, niſi citò portum pietatis intraverit, exercere virtutes non poteſt, lucrum non poteſt habere virtutum. Iejunans ſine miſeratione eſt ager cultus ſine ſemine. Ager cultus caret ſentibus, vitat gramina, evadit totum, quod eſt negligentiæ, quod eſt ſqualloris: ſed ſicut ſine ſemine fit ſterilis, ipſo cultu fructum non dat, dat laborem, & ad bonam frugem non valet pervenire: jejunans ita excolit animam, purgat ſenſus, cor mundat, abſcindit vitia, eradicat crimina, dat menti cultum, corpori dat decorem, ſed ſine miſericordiâ ad fructum vitæ non pervenit, ad ſalutis præmium non vadit. Quod eſt ſine rege aula regia, hoc eſt ſine largitate jejunium. Aula regis fulget auro, nitet marmore, picturis ſplendet, grandeſcit ſpatiis, levatur culmine, amœnatur viretis, ipſo terribilis eſt ſecreto: ſed ſine rege honorem non habet, caret gloriâ, eſt vacua ſolitudo, eſt clauſa eremus, eſt horribile deſertum: ſic jejunium lucet innocentiâ, radiat caſtitate, fulget actu, pingitur moribus, inceſſu micat, magnificatur ornatu: ſed ſine miſericordiâ gloriam non habet, mercede caret, palmam non tenet, perdit fiduciam ſupplicandi, impetrandi meritum non capeſſit.* Sanctificate jejunium.

*Luc. c. 11. v. 41.*

**Iejunium ſine miſericordiâ ad divinũ aſpectum non poteſt aſcendere.**

Siracides hominem liberaliter & plus æquo epulantem inſtruens: *Si coactus fueris,* inquit, *in edendo multum, ſurge è medio & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Quid hoc Siracide? num mores iſti civiles & venuſti, non quæram an religioſi, è menſâ ſurgere, & cibo viam, quam relegat, patefacere, ac vomitu exonerare corpus? Quis ſibi perſuadeat ſapientiſſimum Eccleſiaſticum tot auties præceptionibus abundantem tam incultos mores tantopere probaſſe? Interpretem audite urbaniſſimum Gregorium Nazianzenum, qui vomitum illum eleganter explicans: *Qui deliciis,* ait, *indulgetis, aliquid genio & ventri ſubtrahite, ac ſpiritui date. In propinquo eſt pauper; orphano ſuccurre; in hunc aliquid eorum quæ tibi redundant, eructa & evome. Cur uterque veſtrum premitur, tu cruditate, ille fame? tu crapulâ, ille inediâ. Ne Lazarum tuum hîc aſperneris.* Haud aliter Paulus de Palatio interpres Eccleſiaſtici: *Pulchrum,* inquit, *conſilium habent divites ab Eccleſiaſtico, ut, ſi multum divitiarum devoraverint, in pauperes evomant. Idem cuivis peccatorum dices, ut, ſi multa peccata devoraverit, ea in exomologeſi evomat. Ita in hac vitâ ſe refrigerabit, & in futurâ languorem inferni minimè ſentiet.*

*Eccli. c. 31. v. 25.*

*Paulus de Palatio in hunc locum mihi pag. 510.*

Ergo agite vos, quicumque opulenti, pecuniarum non modicum ingurgitaſtis; penora veſtra & menſæ veſtræ & marſupia veſtra redundant. Surgite, & crumenâ vomitu ſollicitate, eructate aliquid in pauperes; reddant loculi nummorum partem, quos hauſerunt. Hæc beati Leonis crebra fuit concio: *Eſuriamus paullulùm, dilectiſſimi, & aliquantulum quod juvandis poſſit prodeſſe pauperibus, noſtræ conſuetudini ſubtrahamus.* Sanctificate jejunium. Abſtinentia orationi & ſtipi juncta virtutum omnium poſt ſe choreas trahit.

*Leo ſerm. 4. de jejun.*

## §. III.

NOn autem de ſolâ loculorum eleemoſynâ, ſed de illâ etiam, quam ſpiritalem vocant, loquimur. Hæc in eo conſiſtit, ut alter alteri promptam injuriæ veniam condonet, faciátque gratiam culpæ. Quid enim juvet, ſi excludam ſtomacho eſcam, & animo recipiam invidiam, odium, vindictam? Hoc profectò non eſt ſanctificare jejunium, ſed maculare.

Conradus Imperator Francus, Alberto Crantzio teſte, Henricum fratrem Sveviæ Ducem admodum rebellem & refractarium expertus: Ergo, inquit, ſi aliter imperium tueri non poſſum, niſi ferro, experiamur Bellonæ aleam, congrediamur. Congreſſi ſunt; Henricus Dux victus, & Sveviâ expulſus in Pannoniam fugit, ad affinem ſuum regem Stephanum. Non placuit regi contumacia tâm aperta & maligna. Satuit ergo affini hanc culpam efficaciter ſed modeſtè proponere noſcendam. Igitur die Paraſceves imperat carnes inferri menſæ. Cohorruit Dux Henricus ad tale obſonium tali die. Cui ſuaviter & amicè rex Stephanus: Minus, inquit, mali eſſe arbitror, hoc die carnibus veſci, quàm fratri contumaciter rebellare. Benevolum auditorem reperit hoc genus moniti. Sibi dictum audit Dux Henricus, & cum Imperatore Conrado fratre in gratiam redit.

Hîc ego cum Baſilio illud opportunè repetierim: Carnem non comedis, & comedis fratrem? Bove abſtines, & ab invidiâ & vindictâ non temperas? cultrum coquinarium nec in gallinas, ec in vitulos, nec in boves expedimus, & gladium adverſus fratrem ſtringimus? Fruſtra eſt, ô Chriſtiani, fames, fruſtra jejunium & abſtinentia, fruſtra ſunt & vanæ religiones noſtræ, quamdiu hunc invidiæ, hunc odii & vindictæ cultrum iratâ manu gerimus. Non ſanctificat hoc jejunium, ſed maculat. Inſigniter hac de re Auguſtinus: *Dies iſti ſancti,* ait, *quos agimus in obſervatione Quadrageſimæ commonent nos de fraternâ concordiâ loqui vobis, ut quicumque habet adverſus alium querelam, finiat, ne finiatur. Dic ergo:* Dimitte nobis debita noſtra. *Sed quod ſequitur, vide. Noluiſti enim dimittere peccatum fratri tuo, & dicturus es,* Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *An non*

*Aug. to. 10. ho. 40. mihi pag. 193.*

*Matth. c. 6. v. 12.*

*es dicturus? ſi non es dicturus, nihil es accepturus; ſi autem dicturus, falſum es dicturus.* Ergo dic, & verum dic. *Quomodo dicturus es verum, qui fratri tuo noluiſti laxare peccatum? Illum admonui, modò conſulo. O quiſquis es, ſi tamen es, qui dixiſti fratri tuo, Dimitte mihi, quod in te peccavi: ſi dixiſti ex toto corde tuo, ſi verâ humilitate, non fictâ charitate, quomodo Deus videt in corde, unde dixiſti; ſed ille noluit tibi dimittere, noli eſſe ſollicitus. Servi eſtis ambo, habetis Dominum: conſervo tuo debes, noluit tibi dimittere, interpella Dominum amborum. Quod tibi dimiſerit Dominus, ſi poteſt, exigat ſervus. Dico aliud, admonui ergo eum qui noluit dimittere fratri ſuo, cùm petat ille dimitti ſibi, ut faciat, quod nolebat, ne quando orat, non accipiat quod deſiderat. Admonui & illum, qui petivit veniam peccati ſui à fratre ſuo, & non accepit: ut in eo, quod non impetravit à fratre ſuo, ſecurus ſit de Domino ſuo.*

Mellifluus Bernardus illam Ioëlis promulgationem expendens: *Quid eſt*, inquit, *cœtum vocare? unitatem ſervare, diligere pacem, fraternitatem amare.* Iejunium phariſæi ſeipſum laudantis, unam tantummodo alam habuit orationem & gratiarum actionem. Imò nec hanc quidem. De hoc Auguſtinus: *Quid rogavit Deum*, inquit, *quære in verbis ejus, & nihil invenies. Aſcendit orare; noluit Deum rogare, ſed ſe laudare, inſuper & roganti inſultare.* Cœtum non vocavit Phariſæus, fraternitatem non amavit. Bis quidem in ſabbato jejunavit, ſed omnem jejunii vim perdidit, cùm illud malus coluber ſibilaret: *Non ſum ſicut ceteri hominum*; velut etiam hic publicanus. O ſerpens! non tantùm jejunandum, ſed etiam orandum, ſed etiam, ſi quid offenſus es, condonandum. Dic, ó peſſime orator, dic: Sum ſicut ceteri hominum, & pejor ceteris, & hoc ipſo publicano nequior. Tu quidem de datis decimis multa blateras; quid de collatis eleemoſynis, quid de injuriis permiſſis habes dicere? Num vocaſti cœtum, num pacem dilexiſti, num fraternitatem amaſti? Hîc vir eſto, ſed agendo, non loquendo.

*Aug. ſer. 16. de Verbis Dom. circa med.*

*Luc. c. 18. v. 11.*

Præclariſſimè dixit Auguſtinus: *Quid prodeſt abſtinere à carnibus, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodeſt, ſi abſtineamus ab his quæ aliquando licent, & faciamus illa quæ nunquam licent?* Ergo ſanctificate jejunium.

## CAPVT VII.

### *Quàm diverſa ſint jejuniorum genera.*

*Chronicon S. Franciſci parte 2. l. 6. c. 38. mihi pag. 200.*

AMATOR paupertatis integerrimus Franciſcus Aſſiſias inter primos ſocios Iuniperum numeravit, virum exactè religioſum, nec minùs tamen hilarem ac facetum. Fuit ut omnes ex eo cœnobio foràs exirent in pagos precarium victum collecturi; ſolus domi Iuniperus relictus tuendis ædibus. Ea occaſio mirabilem homini cogitationem ſubjecit. Raptim ex urbe opſonii aliquid corrogavit. Liberaliter datum. Ita carnes, ova, caules, gallinas, caſeos, lac, butyrum, cicer & fabas domum retulit. Mox lebetem quàm potuit capaciſſimũ accepit mutuum, in hunc omnia planè, quæ precariò congeſſit, gallinas cum plumis, ova cum teſtis, fabas cum folliculis, caſeos cum cruſtis, carnes non lotas, caules non ſectos, mixturâ horribili, ſed ſimul ridiculâ conjecit; affudit aquam, ſubſtruxit ignem tamquam pulmentum Xerxis copiis cocturus. Vbi domum alii redierunt, unus attentior novum coquendi genus obſtupeſcens, ad id ſpectaculi vocavit & ceteros, ut rem, quæ fieri poſſet, abſurdiſſimam ſuis ipſi oculis arbitrarentur. Iuniperus hoc accurſu non territus. Videte, inquit, mei fratres, rem ſanè commodam; ut orationi tantò contentiùs vacare liceat, ego hîc quod in quatuordecim dies ſufficiat, coxi. Cœnobii Antiſtes, aſperè hominem tractans, ut malè prodigum & paupertatis violatorem, verbis inſigniter multavit. Iuniperus ad pedes patris provolutus veniam rogavit. Alii quidem putabant nondum hac multâ ſatisfactum, & leviùs, quàm par erat, hanc abſurdiſſimi coci audaciam eſſe punitam. Sed Antiſtes placidè: Toleremus factum, *P. Guardiã.* ait, & excuſemus. Non coxit quidem hic frater, quo menſa gauderet, ſed quo religio. Ex hac cocturâ prodiit Humilitas. Hanc ſuo bono, noſtro autem abſtinentiam paravit. Non mala ſunt hæc fercula, ſi palatum inveniant non iniquum.

Quemadmodum autem varium prorſus coquendi, ita planè diverſum eſt jejunandi genus. Reperias homines qui pejùs ac imperitiùs jejunent, quàm coxerit Iuniperus. Aſſignemus igitur diſcrimina jejuniorum. Quindecim minimùm invenio. Aliud namque jejunium voces Leoninum, aliud Mammonicum, Phariſaicum aliud, &c. Omnia ordine. hoc & ſequenti capite recitabo.

*Quindecim jejuniorum genera diverſa.*

### §. I.

I. IEjunium Lupinum aut Leoninum. Lupus & Leo cùm ſuo ſe pabulo avariter referſerunt, aliquot diebus à paſtu dicuntur temperare. Non infrequens eſt, ita aliquos ſe cibo vinóque onerare, ut videatur in aliquot dies ſuffecturum. Hinc cùm luce poſterâ reditur ad menſam, & quæritur, quas dentibus indixerint ferias, cur non edant? Plerumque caput fricant, & languidè reſpondent: Hem nimiùm heri aliorum ſaluti libavimus, hinc minimè ſalvi ſumus hodie. Faſtidium cibi eſt, non jubet eſſe. Stomachus languet, caput dolet, amaror fauces occupat. Hinc jejunium, ſed Lupinum, ſed Leoninum. Vel toti triduo ſatis voratum eſt. Subit memoriam expeditio Bohemica, cùm Sereniſſimus Bavariæ Elector Maximilianus Auſtriam & Bohemiam armis in poteſtatem Cæſaris redigeret, ego dum caſtra ſequor, in Greiſenſtain arte nobiliſſimâ militem ad portas excubantem obſervavi, qui proterviâ militari: Me malus genius, inquit, abripiat, ni triduum aut quatriduum inediam fero, ſi priùs ſemel largiùs me invitavero. Quatriduanum hoc jejunium eſt quidem prolixum, ſed Leoninum.

*I. Ieiunium Leoninum.*

Sunt alii, qui ad prandium cœnamve opiparam invitati famem ideo colligunt, ut eò differant, tantò lautiùs cenaturi, quantò ventrem attulerint capaciorem. Sunt qui diebus jejunioſis, ita piſcibus & eſculentis aliis ſeſe farciant, ut ventrem habeant pro tympano; aut ita ſe vino ſepeliant, ut in horas plurimas nullam famem ſitimque ſentiant. Iſaias & Zacharias contentè vociferantur: *Numquid tale eſt jejunium, quod elegit Dominus? numquid jejunium jejunaſtis mihi?*

*Iſa. c. 58. v. 5. Zach. c. 7. v. 5.*

II. Mammonicum jejunium, ſeu avarum. Sunt qui divitiis Craſſum ſuperent, & neſciant quid faciant auro, nihilominùs parſimoniâ illaudabili non virtuti eſuriunt, ſed tenacitati. Et en ſpecimem convivii quod ſtruxit avaritia. Suum vir ditiſſimus cognatum invitarat, præter ceteram ferculorum ſeriem, quam facilè conjicies, ovum ſed unum atque unicum appoſuit cum dicto: Heus cognate, manum admove; hoc ovum ſorbeamus intinctibus alternis. O ſordes Euclioni erubeſcendas! Hoc non Deo, ſed Mammonæ aut Pluto jejunare eſt. Sed certè condus quærit promum; & Comici vaticinio: Quod ille compar ſit miſer, id alii univerſum abripient. Abſtinentiam hanc miſerabilem Eccleſiaſtes deplorans: *Eſt & aliud malum*, inquit, *quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus divitias & ſubſtantiam, nec tribuit ei poteſtatem Deus, ut comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud.* Hi tales ſordidiſſimi jejunatores, non pomum, non pirum, non alios fructus comedunt recentes, ſed

*II. Mammonicum.*

*Terentii.*

*Eccleſ. c. 6. v. 1. & 2.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

putredine læſos & marceſcentes. Hinc filius herilis ſocios in ſui parentis hortum deducens: Heus ſodales, inquit, hoc cavete unicè, ne quid putridorum frūctuum attingatis; meo parenti aſſervantur. In ceteris libertas eſto, carpendi & veſcendi quidquid collubitum fuerit. Sic & avaritia jejunat. Sed *numquid hoc tale eſt jejunium, quod elegit Dominus.*

*Iſa. c. 58. v 5.*

III. Manichaicum.

III. Manichaicum ſeu hæreticum. Encratitæ, Manichæi, Marcionitæ vino & carne abſtinuerunt, non carni caſtigandæ, ſed quia hæc impura cenſuerunt, & à Satanâ, non à Deo condita. Hæc jejuniorum monſtra prædicens Paulus: *In noviſſimis temporibus*, inquit, *diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem; quia omnis creatura Dei bona eſt.* Celeſti hac eruditione Auguſtinus in Fauſtum Manichæum pugnans: *Videtis*, inquit, *quàm grande ſit diſcrimen inter abſtinentes à cibis propter ſacratam ſignificationem, aut corporis caſtigationem: & abſtinentes à cibis quos Deus creavit, dicendo quòd Deus eos non creavit: doctrina illa Prophetarum & Apoſtolorum eſt, hæc diabolorum.*

*1. Tim. c. 4. v. 1. 3. & 4.*

*Aug. l. 3. contra Fauſtum Man. c. 5. & 6.*

*His nō multū abſimilia videbis apud Florimundū Ramund. part. 2. de Ortu hæreſum l. 6. c. 16. mihi pag. 300.*

Quæſtio ſit, num etiam Dominicis aut feſtis diebus jejunare liceat? Omnino licet, modò abſit prava, quam diximus, intentio. Ita vel ipſo Naſcentis aut Reſurgentis Chriſti Domini die valetudinis aut pietatis ergò jejunare non vetitum, modò Chriſtiana conſuetudo, quæ cibos offert, non ſit contemptui. Diebus ſolis tempore cineralium priſcus Eccleſiæ mos eſt cenare, ad obſiſtendum Arianis, qui eo die jejunandum ajebant. Sed *numquid hoc tale eſt jejunium, quod elegit Dominus?*

§ II.

IV. Hypocriticum.

*Matth. c. 6. v. 16. 17. & 18.*

Sanctimonia venalis eſt apud Hypocritas.

IV. PHariſaicum ſeu Hypocriticum. De Phariſæorum & Hypocritarum jejunio Chriſtus dilucidiſſimè: *Exterminant*, inquit, *facies ſuas, ut pareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans.* Phariſæorum & Hypocritarum proprium eſt venalem habere ſanctimoniam, quam oculis vendant impendio leviſſimo. Orant illi, & vigilant, & jejunant, & eleemoſynas erogant, dum eos aliqui ſpectant, aliqui etiam laudant. Remunerator illorum, ſpectator eorum eſt. Spectari ab aliis, pro virtutis ſuæ pretio habent. Cùm deſunt ſpectatores, illi deſinunt eſſe actores. His offuciis omnia ſua palliant. Nam multò majorem rationem ducunt bonæ commendationis, quàm bonæ rei: mercatores ſtultiſſimi, qui merces optimas pretio viliſſimo, inani vendunt gloriolâ. Cùm Phariſæus in templo diceret: *Iejuno bis in ſabbato*: ſeipſum adeò circumſpexit, ut procul à ſe ſtantem penitus deſpiceret: *Velut etiam hic publicanus*, homo nihili, triobolaris, virtutis nullius. Videte jejunatorem Thraſonem. *Numquid hoc tale eſt jejunium, quod elegit Dominus?*

*Luc. c. 18. v. 12.*

*Ibid. v. 11.*

*Iſa. c. 58. v. 5.*

*Matth. c. 6. v. 17.*

Tu ergò *unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Non opus eſt humanos oculos exire, cùm jejunas, ſed opus eſt, ut humanis oculis jejunium tuum non vendas. Palleſcat an rubeſcat facies, tu Deum attende; homines te videant aut non videant, juxtà habe, jejuna Deo, ora & vigila Deo.

V. Valetudinarium.

V. Valetudinarium, ſeu medicum. In morbo primum eſt, præcipere, quibúſnam cibis abſtineat æger, cereviſiam & vinum fugiat, aquam coctam bibat, carnes & omnem cibum valentiorem caveat, caſeum ſtomacho nihil obſequentem omittat, juſculis aut offulis vivat. Tanti momenti ſunt præceptiones iſtæ, ut mortem vel prævertere, vel jam præſentem non difficulter poſſint expellere. Severus Imperator quolibet

A menſe, die integro nil cibi admiſit, quotidie horam unam obambulavit, venam numquam aperuit, ita rigidiore vivendi lege morbum omnem à ſe abſtinuit. Hoc ſuprà jam ſatis demonſtratum arbitror. Et ipſa ubique loquitur certiſſima experientia, ſed & ubique innumeros patitur oblocutores. Hîc illud commodè uſurpem, quod Iudæi oblatrantes Paulo: *De ſectâ hac*, inquiebant, *notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur*: Notum eſt homines etiam eruditos, quod ſummè miror, fatu reluctari & obſtrepere, atque jejunium tamquam valetudini parum favens & amicum accuſare. Abſtinentiæ ubivis pæne locorum contradicitur. O ignorantiam miſerabilem, ſuperi! Hîc profectò ipſa cum Servatore vociferatur experientia; *Qui poteſt capere capiat.* Nos autem hac in re fatuè increduli, ideò quod affirmatur, nolumus capere aut credere, quia nolumus experiri; vel, ſi moleſtior fiat experientia, mox reſilimus, & abrumpimus cœpta. Sentire jejunium
B horremus. Hinc plurima in illud convicia naſcuntur. O delicatuli! ô milites Chriſti minimè generoſi! ô membra nimis tenera ſub ſpinoſo capite!

*Act. c. 28. v. 22.*

Abſtinentia ubique contradicitur.

*Matt. c. 19. v 12.*

Beatus Lucas Chriſtum Magdalenæ hoſpitem deſcribens, illud Domini ad Martham ſingulariter refert: *Porrò unum eſt neceſſarium.* O Martha nimium ſollicita, ut multitudine ferculorum cenam inſtruas! Quid opus multis? unum ſatis eſt. Didacus Stella optimus Lucæ interpres ita dictum explicat: Si unicum, ô Martha, ferculum pares, ſatis eſt: certè unum cenaturis neceſſarium eſt. Hanc Deus, hanc Chriſtus Dei filius conſuetudinem tenuit, ut non niſi unicum ſuis convivis ferculum apponeret. In ſolitudine Iſraëlis plebi vel manna vel coturnices dedit. Eliæ corvi cum pane detulerunt carnes; potum flumen publicum ſubminiſtravit. Danieli in leonum caveam pulmentarius meſſorum cibus ſubmiſſus eſt. Chriſtus cum pane hordeaceo ſolùm appoſuit piſces. Atque
C hoc ſæpius factum. Miſſu Deus unico vel amiciſſimos paſcere conſuevit. Veriſſimum vetus metrum:

*Luc. c. 10. v. 42.*

*Si cupis ſanus, diuque vivere, unus ſit cibus;*
*Cibi varietas cauſſa morborum omnium eſt:*
*Morbis caret cui ſimplex eſt alimonia.*

*Trochaici & Iambici.*

Repeto vel centies, vel millies. Pharmacum pharmacorum omnium eſt jejunium.

VI. Philoſophicum ſeu rationabile. Diogenes aliique plures ejus farinæ homines famem & ſitim didicerunt ferre ob epiikiam. Videbatur illis ratio virtutis id poſtulare. Æquum, bonum, decorum, arbitrabantur id facere. Æquitatis partem cenſebant his miſeriis eſſe ſuperiorem tolerando. Diogenem, Laërtio teſte, Ariſtippus fortè conſpicatus ad fontem olera lavantem: O Diogenes, inquit, ſi Dionisii regis moribus tuos accommodare poſſes, olus certè non eſſes. Mox Diogenes promptus: O mi Ariſtippe, ait, ſi tu olus comeſſe velles, Dionyſii aſſentator non eſſes. Fames
D philoſophis priſcis non ignota.

VI. Rationabile.

*E'πιείκεια æquum, bonum, decorum.*

Priſcis philoſophis non fuit ignota fames.

Suidas memorat, Zenonem Citticum, qui nonagenarius obiit, ſubinde cibo tamdiu abſtinuiſſe, dum inediâ deficeret. Sciverat Zeno, quò jejunium tam contumax conduceret. Illa ſanè argumentatio refutari non poteſt, quamplurimos inter quotidiana & rigida jejunia evaſiſſe ad octoginta, nonaginta, ad centum & plures annos. Nos Medicum & Philoſophicum jejunium neutiquam damnamus; bonum eſt, quia valetudini ac rationi congruum. Ad cælum verò lucrandum ſublimior ſit finis, ſanctior intentio.

*Suidas mihi pag. 366.*

VII. Politicum, ſeu civile. Apud Batavos & alibi locorum publicæ legis eſt, ut ſtatis in hebdomade diebus imperium menſæ piſces teneant, excluſis carnibus. Quod damno duplici avertendo cautum eſt: Primum, ne pecoris continuus uſus, ejuſdem demum adferat penuriam. Alterum, ut piſcium ingens numerus

VII. Civile.

tantò

A tantò fiat venalior. Sic prudens œconomia parcit pecori, & piſcium foro pretium conciliat. Iejunium non malũ. Sed *Numquid hoc tale eſt, quod elegit Dominus?* Quòd ſi magiſtratui politico tantùm ſit juris in ſuos cives, cur Eccleſiæ & ſacrorum Præſulibus non ſit in ſibi ſubditos greges? Vt pretio parcatur & ſumptibus, carnes arcentur menſis; ut conſulatur animo, non liceat menſæ modum ponere? Illud eſt jejunium, quod elegit Dominus, cùm corpori caſtigando, noxis eluendis, promeritis augendis, iræ Numinis placandæ, orationi promovendæ, cælo deſiderando dapes faceſſere jubentur. Politicum illud jejunium non malum, nam abſque hoc eſſet, provinciæ & populi peſſum irent. Sed politico melius quod elegit Dominus. Ninivitæ profectò non ideo temperarunt à cibo, ut ovis & butyro, ut petaſonibus aut macello parcerent, ſed ut apud offenſum Numen in gratiam redirent, ut cælum armatis precibus expugnarent. Non enim negotiatio B Iejunium eſt, ut lucrum faciamus non edendo, ſed ut quod manducaturus eras, pauper pro te comedat, fiátque tibi duplex bonum, tum quòd tu jejunas, tum quòd alius non eſurit. Hoc eſt jejunium, quod elegit Dominus: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.*

*Iſa. loc. cit.*

Iejunium ut rogo-natic. quâ ſit jejunãti duplex bonum.

*Cerſ. 10.5. ſer. 1. de jejunio mihi pag. 773.*

*Ioel c. 2. v. 12.*

## §. III.

VIII. Violentum, ſeu coactum. Sunt homines decoctores, patrimoniorum gurgites, qui comeſſando pecuniam omnem devorent, & faciant proterviam. Denique nec quod molant, nec quod mandant habent. Hi quidem latrantem ferunt ſtomachum, & dentes habent exercitatos, & ventrem condendo vino capaciſſimum, ſed marſupia arenarum plena, & nullus in culinâ fumus ciborum ferias indicit. Velint, nolint, jejunandum eſt. Ita prodigus il- C le juvenis jejunare cœpit, poſtquam † *diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.* Ientaculum nimis lautum, ſerum fert jejunium. Eſurialis cena prandium nimis opiparum comitatur.

VIII. Coactum.

*Protervia, ſacrificium erat in honorem Vulcani inſtitutum, quo victima & quidquid ad ſacrificiũ ſpectabat, comburebatur. Alexander Neapol. l. 3. c. 12. Hinc decoctores omnia dilapidã̃es protervia m feciſſe aſcebantur.*

Sunt alii, qui rem minimè confregerint, nec abliguriverint bona, & tamen in egeſtate ſint ſine lare & foco, araneante ſemper ſtomacho. Hi optimè jejunant, ſi caſu oblata flectant ad conſilium, & in rationem vertant neceſſitatem, ſi quod ſuperis placet, patienter ferant. Deus hoc jejunium ſæpè ingerit etiã nolentibus.

Dum hæc ſcribo, Germania tota continuis bellis exhauſta, *poſteà eſuriit*. Quot enim fame mortui? quanta fames prelulſit peſti? *Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus.* Animo Germaniam obi, & in eâ quotidianas helluationes, convivia creberrima, diurnas nocturnáſque perpotationes, ſtructiſſimas menſas, exquiſitiſſimas epulas, erubeſcendum numerum ferculorum, ſpectacula patinaria, bellariorum copiam, cupedinarios apparatus modum omnem excedentes cogi- D ta: Metas & limites omnes tranſilimus. Sunt quidem cenarum leges; non ſervantur: frequens eſt annonæ caritas; non curatur: eſt certa convivalium ſumptuum moderatio; ridetur: ſymposia in tabernis publicis prohibentur; inſtituuntur clanculum. De jejuniis taceo; vix ulla ſunt, aut coacta. Ita demum cogitur Dominus exercituum Deus, bellorum cladibus rebelles in ordinem redigere. Perinde ſi diceret: Quod recuſatis ſponte facere, hoc ſaltem cum ratione facite coacti: Voluntaria quidem ſacrificia mihi gratiſſima, non ingrata tamen coacta, modò patientiæ ſint conjuncta. Voluntariè igitur ſarcificemus Domino; ſponte jejunemus ad promeritum, ne jejunare cogamur ad ſupplicium.

*† Luc. c. 15. v. 13.*

*Luc. c. 23. v. 41.*

# CAPVT VIII.

## *Quæ alia ſint jejuniorum diſcrimina.*

Aſsignare cœpimus diſcrimina jejuniorum. Pertexenda eſt hæc tela. Quando igitur diſcrimen octuplex datum, hîc reliqua ſubjungemus.

## §. I.

IX. Diſcrimen: Iejunium antiquum Ethnicum. Vetus Comicus à priſtino, jejunioſos dies & ferias eſuriales ſæpius promulgat. Diabolus Dei ſimius inter ipſos etiam idololatras ſua ſibi habuit jejunia. Initiandi ſacris Iſidis decem dierum jejunia inire cogebantur. Amphiaraus vates cenſebat ſacerdotibus reſponſum clarum aut accepturis aut daturis die ſolido jejunandum, & triduo vini uſu abſtinendum. Apud Trœzenios ad Ardali aram oraculum audituri diem unum à cibo, tres dies à vino temperabant, teſte Alexandro Neapolitano. Tarentini, quod Ælianus[a] refert, à Romanis obſeſſi valde veriti ſunt, ne in jus ditionémque Romanam concedere cogerentur. Eam ob cauſſam ſocii Tarentinorum Rhegini in decimum quemque diem indixere ſibi jejunium, & omnem victum, cui parſum eſt, Tarentinis conceſſere. Romanis obſidionem ſolventibus, Tarentum ſolennia eſurialia & feſtum diem decrevit in monimentum rei perpetuum. Eſurimus igitur diabolo? cur non & Deo?

IX. Antiquum ethnicum.

*Plautus in Captivis & alibi.*

*Madau ẽſis l. 11. Metamorphoſ.*

*Volateran. l. 11. Antroph. c. 4.*

*Ab aliis Aridalus appellatur, in cujus arâ Sono fiebat & Muſi res divina. Hic accepturi reſponſa diẽ integrum à cibo, à vino autem triduum abſtinebãt. Alexand. Neap. l. 6. Dierum Genial. c. 2. mihi pag. 320. Celius Rodigin. l. 17. Antiq. lect. c. 16. mihi pag. 1039.*

[b] X. Turcicum. Mahometes ſuis menſem integrum (Romandam vocant) ſingulis annis jejunium præcepit, idque in animi grati ſignificationem, quòd eo menſe legem accepiſſet. Hujus jejunii legibus ſolvuntur ſoli viatores & ægroti. Nec tamen religione penitus liberantur: nam ubi ſuum iter illi, hi morbum ſuum finiverint, ceterorum lege ſtringuntur. Deinde cædem viri boni jejunium luit bimeſtre; ægrotus inediæ impatiens eleemoſynis dandis, non fame tolerandâ multatur. [c] Ita Illuſtriſſimus Princeps Radzivillius Palæſtinæ peregrinus me docet. Addit: Annuum Turcæ jejunium ordiuntur, quàm primùm Septembri menſe lunam conſpicantur novam; durátque eſurialis hæc religio ad interlunium Octobris. Diebus aliquot ante principium hujus ſolennis jejunii omnes turres ab imo ad faſtigium ſummum lampadibus cingunt, quas poſt ſolem occaſum incendunt. Hoc in urbe amplâ, qualis eſt Cayrum, ſpectaculum repræſentat pulcherrimum. Iejunii Turcici ritus eſt, die toto abſtinere cibo, noctu vorare quantum vel ventri vel appetentiæ placet, dummodò ceſſetur ante ortum ſolem horâ unicâ. Mi Deus, Mahometes præcipit jejunium, & obeditur: Chriſtus jejunium imperat, & reclamatur.

*a Ælian. l. 5 Var. hiſt. c. 20.*

[b] X. Turcicum

*c Radzivil. ep. 3 Hodœporici, mihi pag. 187.*

Ritus jejunii Turcici.

XI. Melancholicum jejunium, quod è triſtitiâ & mœrore naſcitur. Rex Aſſuerus plenus tædio & altis cogitationibus merſus, *noctem illam duxit inſomnem.* Parcam utique cenam habuit, cui ſomnus tam parcus, imò nullus fuit. Abſtinentię cauſſa cogitabundus mœror. Hebræus rex Achab, cùm Nabothi vineam ſibi venalem fieri voluiſſet, & repulſam tuliſſet, *venit in domum ſuam indignans & frendens ſuper verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et projicens ſe in lectulum ſuum, avertit faciem ſuam ad parietem, & non comêdit panem.* Hoc certè jejunium non elegit Dominus: ſed ſeipſum Achab corrigens ſanctiùs eſurire didicit. Idcirco illum Eliæ monſtrans Dominus: *Nónne vidiſti*, ait, *humiliatum Achab coram me?* (nam operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite) *quia igitur humiliatus eſt mei cauſſâ, non inducam malum in diebus ejus.*

XI. Melancholicum.

*Eſther. c. 6. v. 1.*

*3. Reg. c. 21. v. 4.*

*Ibid. v. 29.*

Cùm

Cùm Darii regis Satrapæ clandeſtinis invidiæ machinis eò rem deduxiſſent, ut Daniel inſons leonibus objiceretur diſcerpendus; *Abiit rex in domum ſuam, & dormivit incenatus, cibique non ſunt allati coram eo, inſuper & ſomnus receßit ab eo.* Valetudini conſuluit Darius (quod velim obſerves Lector) quia durante mœſtitiâ cibatum omnem rejecit. Nam dum animus triſtitiâ, curis, ægrimoniâ, ſimilíve affectu vehementi quatitur, corpus reficere ſupra modum noxium eſt. In venenum pæne tranſit alimentum, quod tali tempore ingeritur. Conſultius eſt impranſum aut incenatum durare, quàm manducare quod in noxam rapiat urgens affectus. Cùm reficiendum eſt corpus, liber ſit animus, mœrore ac gravibus curis ſolutus.

*Dan. c. 6. v. 18.*

Quomodo Darius cōſuluerit valetudini.

## §. II.

XII. Superſtitioſum.

XII. SVperſtitioſum jejunium. Reperias homines, qui eſcarium orbem cui aliquando carnes B impoſitæ, quí ollam in quâ carnes lixæ, rejiciant eſuriali die. His ſuaſerim dentes ſibi omnes carnium molares eximi curent, ne ſit, quod Veneris aut Sabbati die anxiam religionem turbet. Superſtitio, religionis exceſſus eſt. Ita ſunt, qui Paſchatis, aut ceteris diebus aliis ſingulari ritu jejunent febri cavendæ in eum annum. Superſtitio luculenta. Quidquid horum eſt, religionis exceſſus eſt. Hunc Paulus damnans: *Quæ ſunt omnia*, inquit, † *in interitum ipſo uſu, ſecundùm præcepta & doctrinas hominum.* Omnibus planè diebus anni jejunare licitum, modò abſit ſuperſtitio. Iejunare, & unà Deum rogare, febrim avertat, dolores auferat, morbos corrigat, pium ac Chriſtianum eſt: at verò re quapiam ſacra * conditionibus certis applicatâ non dubiam febris aut morbi alterius medelam polliceri, vanum, ridiculum eſt, doctrina hominum, ſuperſtitio eſt.

*A Paſchate ad Pentecoſten antiquiſſimo ritu ceſſant jejunia; non tamen prohibitū eſt, iis etiam & Dominicis diebus jejunare.*

*† Coloſſ. c. 2. v. 22.*

** Aut aliâ qua in re ſtans agat.*

XIII. Iracundum.

XIII. Iracundum jejunium. Pæne quotidianum C eſt, cùm parentes liberis, viri uxoribus, domini famulis bilem movent & incendunt irâ, liberi, uxores, famuli fremebundi cibum rejiciunt, & eſſe nolunt. Sic alter alterum non rarò exacerbat, ut menſam recuſet accumbere, & bile fremens alimoniam ſpernat. Hîc duo ſubnotem. Primum eſt, dum ſævit ira, ſimilíſve potentior affectus temperare ab eſcâ conſultiſſimum: quod enim paullò antè diximus de triſtitiâ & ægrimoniâ, idem de hac commotione animi potentiſſimâ rectè aſſerimus; in venenum abit cibus irâ durante ſumptus. Nequis animo exturbare iram? ſaltem ſtomacho non admitte eſcam, dum ardet ira. Priuſquam edas,

*— motos præſtat componere fluctus.*

*Virg. l. 1. Æneid.*

Tutiſſimum hîc jejunium, ſi ſanitatem ſpectes; ſi cælum attendas, vix ullius pretii tale jejunium eſt, quoniam radix illius mala. Alterum: Chriſtianæ virtutis D eſt, iræ ignes coërcere, mox aquam affundere, ad lenitatem os componere, vultum & animum, quoad ejus fieri poteſt, ſerenare, atque ſic adire menſam, alioquin altiores agit radices ira, quàm ut facilè convelli poſſit.

Res geſtæ Apoſtolorum docent, Iudæorum ſupra quadraginta conjuratis odiis in Paulum graſſatos, ita quidem ut devotione peſſimâ ſe devoverint, nec cibi nec potûs quidquam libaturos dum Paulum jugularent. Iejunium iracundum & vindictæ cupidum, jejunium peſſimum. *Numquid hoc tale eſt jejunium, quod elegit Dominus?*

*Act. c. 23. v. 12.*

*Iſa. c. 58. v. 5.*

## §. III.

XIV. Mortuum.

XIV. MOrtuum ſeu vitioſum jejunium. Mortuum appellamus, quod caret animâ, ſeu intentione rectâ. Sit quantumcunque licet ſerium, ſit rigidum, ſit diuturnum jejunium; ſi recta deſit intētio, vitioſum, mortuum eſt. Optimas quáſque actio-

A nes corrumpit prava intētio. Eſt qui jejunet, aut menſam accumbens parciſſimè comedat, non virtutis ſtudio, ſed ut videatur eſſe modici cibi, & laudetur. Alius jejunat, ſed curioſitati: ut rem novam atque curioſam videat audiatque, cibi pæne obliviſcitur, & ſuaviter fert famem. Iejunium hoc ceterà non improbum, ſed curioſum. Iejunat alius, ſed ut nequitiam moliatur non plebeiam; jejunium hoc verè nequam eſt. Ita venator dum feris inſidias ſtruit, ita miniſtrator dum menſæ ſiccus aſſiſtit, ita & amator dum fidium cantu domum amicæ celebrat, ita piſcator dum in ſcopulo prædam expectat quam hamo trahat, ita aleator quem ludendi aviditas rapit, ſic alii plurimi quos aut lucrum ineſcat aut voluptas, inediam non difficulter tolerant: ſed *numquid hoc tale eſt jejunium quod elegit Dominus?* Finem illius, ſive intentionem inſpice, & invenies corruptum vitioſum, mortuum. Qualis ſcilicet B radix, tales & rami. *Loc. cit.*

Ad vitiorum jejunium refero immoderatum. Sunt qui ultimo, triduo verni jejunii, aut aliàs, ultra conſuetos limites cibis abſtineant, dein repentè ventrem epulis diſtendant. Animo non conſultum, valetudini noxium. Omnia ſale condienda. Subitus nimiúſque imber non tam rigat quàm ſubvertit arva. Petulāti equo pabulum ita ſubducendum, ut tamen par eſſe poſſit laboribus. Abſtinentiâ non tam caro enervanda, quàm carnis vitia. Paulus *obſequium exigit*, ſed *rationabile*. Hieronymus ventrem ſemper eſurientem biduanis ac triduanis præfert jeiuniis. *Nam aſſellus*, inquit, *in viâ laſſus quærit diverticula.* Corpus nimis exhauſtum otia ſectatur & ſolatia. Si nimiùm intendantur in chely fides, rumpuntur. Si laxentur nimiùm, aut non reſpondent, aut malè. Placet Deo jejunium, ſed non exorbitans, non extra metas effuſum. Hieronymi præceptio eſt: C *Sic comedat, ut ſemper eſuriat, ut ſtatim poſt cibum poßit legere, orare, pſallere.*

*Rom. c. 12. v. 1.*

*Hieron. ad Lætam.*

*Ibidem.*

XV. Religioſum.

XV. Religioſum, verum, Eccleſiaſticum jejunium. *Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſynâ.* Vt autem verum ac religioſum ſit jejunium, quod Dominus elegit, quid faciendum? Quid quæſo faciunt, qui urbem ſibi ſumunt oppugnandam? vi atque impreſſione illam aggrediuntur. Tutiſſimus verò aggreſſus & ſecuriſſima impreſſio eſt fame urbem cogere ad deditionem. Cùm impetus in hoſtem datur, aliquot ſubinde millia militum cadunt, & nihilominùs re infectâ recedendum. Lentis quidem ſed validis cogit imperiis fames. Ita prorſus optimè facit, qui moderatis per annum jejuniis inferiores animæ vires, & ſuas libidines expugnat. Sunt qui hebdomade magnâ ſeveriſſimè jejunent, omni anno reliquo cuticulam curent impigrè; Non probamus. Obſide caſtrum, quod cupis expu- D gnatum, obſide, & fame in poteſtatem redige, imperium corporis abſtinentiâ & jejuniis per totum annum imminue: Ancilla pareat, domina jubeat: Serviat corpus, non regnet: moderatâ fame diſcat miteſcere. Abſtinentiâ vincetur ejus petulantia. In hunc finem tres damus præceptiunculas.

*Tob. c. 12. v. 8.*

Pro abſtinentiæ præceptiunculæ.

## §. V.

PRima: *Certa ſit & conſtans diæta.* Non expedit modò multum, modò modicum, modò nimium ingerere? æqualitas & proportio ſit in alendo corpore. Quamvis non negem poſt opimum prandium rectiſſimè ſequi præparcam cenulam, ſeu, unicum & ſimplex ferculum. Sed de hoc aliàs fuſiùs. Hîc ſolum Senecæ illud monitum ſummè neceſſarium inſtillo: *Sciat unuſquiſque menſuram ſui ſtomachi, ut poßit ſibimet ita imperare.* En tantum cibi potúſque tibi ſufficit in prandium, in cenam tantum; ſic durabis ſanus: omnia cetera ſunt ſuperflua. Hoc igitur ratum fixúmque eſto; hæc tua ſit menſura. Chryſoſtomus hoc loco audien-

1. Certa & conſtans diæta.

*Seneca ep. 83.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

audiendus de ſuperfluis abdicandis ſaluberrimè inſtituens: *Vis*, inquit, *corpus alere? tolle ſuperflua: da ei, quod ſatis eſt, & quantum concoquère poteſt; non ipſum aggraves, non ſubmergas. Nihil ita voluptatem parit, ſicut cibus bene digeſtus. Cibus ſufficiens & voluptas, & alimentum, & ſanitas eſt: Plus autem, & pernicies, & ægritudo, & faſtidium.*

*Chryſ. hom. 55. ad pop.*

Sunt & alii quos Auguſtinus deplorans: *Sunt*, inquit, *quidam obſervatores Quadrageſimæ delicioſi potiùs quàm religioſi, exquirentes novas ſuavitates magis quàm veteres concupiſcentias caſtigantes, qui pretioſis copioſiſque apparatibus fructuum diverſorum quorumlibet varietates & ſapores ſuperare contendunt. Vaſa in quibus coctæ ſunt carnes, tamquam immunda recuſant, & in carne ſuâ ventris & gutturis luxuriam non formidant. Iejunant, non ut ſolitam temperando minuant edacitatem, ſed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis menſis tamquam pecora præſepibus irruunt, ventréſque diſtendunt. Artificioſis & peregrinis condimentorum diverſitatibus tantum capiunt manducando, quantum digerere non ſufficiunt jejunando. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expreſſionem pomorum alióſque ſibi liquores non ſalutis cauſſâ, ſed jucunditatis exquirant: tamquam non ſit Quadrageſima piæ humiliationis obſervatio, ſed novæ voluptatis occaſio. Quantò enim honeſtius eſſet, ut qui propter infirmitatem ſtomachi aquam potare non poterat, vino uſitato & modico ſuſtentaretur? Quid autem abſurdius quàm tempore, quo caro arctiùs eſt caſtiganda, tantam ſuavitatem carni procurare, ut ipſa faucium concupiſcentia nollet Quadrageſimam præterire? Quid inconvenientius, quàm diebus humilitatis, quando parum victûs omnibus imitandum eſt, ita vivere, ut ſi toto tempore ſic vivatur, vix poſſint victum patrimonia ſuſtinere? Cavete iſta, dilectiſſimi, cogitate, quid ſcriptum eſt.* Poſt concupiſcentias tuas non eas. *Quod ſaluberrimum præceptum ſi omni tempore obſervandum eſt, quantò amplius his diebus, quando ita turpe eſt, ſi cupiditas noſtra ad inuſitatas relaxetur illecebras, ut meritò culpetur, qui non reſtrinxerit uſitatas.*

*Aug. to. 10. in appẽdice ſer. 86. mihi pag. 711.*

*Eccli. c. 18. v. 30.*

2. Fames ad mẽſam ducat; fames cibos condiat.

Altera: *Fames ad menſam ducat; Fames cibos condiat.* Accumbere menſam cùm nulla vel exigua eſt cibi appetentia, non ſuperfluus ſolùm ſed & noxius eſt labor. Cur equo alterum affundam pabulum, cùm nondum devorârit primum? ad cibum corpus admittere priori nondum digeſto, non alimentum, ſed noxa & venenum eſt. Hîc millies, hîc centies millies, hîc infinities, erratur quotidie tam à ſanis quàm ægrotis. Plurimos ægrotorum videas non paſci ſed obrui: nam modò jentaculum, modò prandium, jam merenda, jam cena, jam pocæniolum fertur; modò juſculum, modò pulticula, modò oluſculum, jam piſciculi, jam pars pullaſtri proponitur: nunc ſcitamentum, nunc exſudatæ aquæ, nunc electuarium, nunc mulſum, nunc bacculæ, nũc ceraſa duracina melle macerata ingeruntur, quandoque etiam nolentibus. O ſedulam benevolentiam, ſed fatuam & noxiam! Et quando ſic obrutus vacat à labore ſtomachus? Sed aiunt vires ægroti crebriore cibo excitandas. Non quidem hoc fatuum, ſed ſubinde fallax & nocivum. Ego vix ullum ægrum ſæpiùs quàm ter, ſummum quater de die reficiendum judico: & iſtud quidem pauciſſimis conceſſerim. Reverà non intereſt quàm multum ingeratur, ſed quàm bene, quod ingeſtum, digeratur. Iuſculum unicum, & ſorbilium par ovorum ſatis in diem totum alimenti eſt ægro, modò illud bene concoquat.

*Illud & aliis debilioribus aut famis impatientibus ſuaderi poteſt, ut horâ matutinâ ſeptimâ jẽtent, prandeant circa meridiem, veſperi cœnent; ſed parcius, mitigandæ noxæ.*

Hîc, ô viri doctiſſimi, liceat pace veſtrâ dicere, ô Clariſſimi Medici, non pauci veſtrûm peccant nonnumquam ignorantiâ, frequentiùs tamen nimiâ in ægrum indulgentiâ. Novi ægros, & quidem optimates, quibus ſexies de die aut ſepties ſorbendum aliquid oblatum. Bene manè initium factum horâ quintâ, propinatum juſculum è gallo gallinaceo eliquatum. Horâ ſeptimâ ſequebatur offula. Dein prandium non ſatis tenue ad recreandum enervem ſtomachum. Accedebat vinum generoſum, non lymphatum, ægro venenum. Horâ tertiâ poſt meridiem aderat ſorbitiuncula. Poſt paucula horas cenula æquo liberalior. Denique poſt ſeſquihoram pocæniolum, vel par ovorum. Ohe, his tot ſorbitiunculis atque refectiunculis rectè digerendis unici hominis & quidem ægroti ventriculus ſufficiat? Sanum in lecto componite, motu careat, toties támque diverſa ſorbeat; demum ægrotabit. Quid jam ægroto fiat? inediâ & fame longè tutiùs pugnatur in quemlibet morbum. Non implendus, non fatigandus, non obruendus eſcâ ſtomachus. Cum veniâ dixerim: Edendo tumbam præproperè ſubimus. Hæc præcipuè ægrotis dicta ſunt.

*Hoc alibi copioſius demonſtravimus.*

*Catarrhos ſalſos, & morbos bilioſos paullò indulgẽtius tractaverim.*

Nec aliud ſanis inſtillo: Fames ad menſam ducat. Fames cibos condiat. Nec enim alius umquam ingerendus eſt cibus, quàm prior ſit digeſtus. Non alimentum, ſed noxa & venenum eſt cibus, qui ſtomacho prioribus digerendis adhuc occupato injicitur. Digere priùs; pòſt ingere. Quemadmodum verò non accedendum ad menſam ni fames præeat, ita recedendum à menſâ non omni penitus extinctâ fame: ſaltem aliquid appetentiæ ſuperſit. Surge, dum adhuc comedere liberet. Saluberrimum eſt, numquam omnem jugulare famem.

3. Abſtinentiæ calendarium ſæpius inſpiciendũ.

Tertia præceptiunculâ: *Abſtinentiæ calendarium ſæpius inſpiciendum.* In hoc jejunii ſtudio non ſolùm Eccleſia, ſed & pietas privata ſuos ſibi intercalares dies deſignet, quibus & valetudini & animo conſulatur abſtinendo. Creberrimum eſt prandium plus æquo copioſum; ad ſarciẽdam hanc noxam abſtinentia intercalarẽ diem ſuggerat, qui cenam vel modicellam vel nullam ponat. Atque hîc potiſſimũ illud Auguſtini monitum in mente ſit: *Cibum ut pharmacum ſume, certo pondere, certâ menſurâ, certo tempore.* Profectò catapotia ſeu aureæ pharmacopolarum ſphærulæ non voluptatis cauſſâ glutiuntur, ſed ſanitatis. Deinde hoc ipſum abſtinentiæ calendarium crebriùs inſpectum diem Veneris aut Sabbati nonnumquam, aut pervigilium alicujus è cælitibus jejunio colendum ſuadebit, hoc monitu: En diem Chriſto patienti ſacrum, aliquid cibi ſubtrahe in Chriſti gratiam: jejuna. En feſtum cæleſtis Puerperæ diem; in gratiam divinæ Matris Virginis jejuna. En pervigilium Chriſtiani Martyris, in gratiam herois fortiſſimi jejuna. Fac tibi amicos, quod Chriſtus ſuadet, beatos Cælites, non comeſſando, ſed eorum jejunia imitando. Facies autem amicos eâ maximè ratione, ſi quod tu comederes aut biberes, pauperi mittas aut ægro. Geminatum Deóque gratiſſimum eſt jejunium, ſi fiat refectio pauperis, abſtinentia jejunantis. Conceptiſſimis Chryſologi verbis finio. *Beati qui nunc eſuriunt. Eſt jejunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ. Eſt jejunium robur mentium, vigor animarum. Eſt jejunium caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas ſanctitatis. Eſt jejunium ſchola meritorum, magiſterii magiſterium, diſciplinarum diſciplina. Eſt jejunium invictus Chriſtianæ militiæ principatus. Eſt jejunium vitiorum mors, vita virtutum.*

*Petr. Chryſ. ſerm. 8. de jejunio & eleemoſynâ med. mihi pag. 26.*

## CAPVT IX.

### *Quæ quadragintadialis Iejunii ſit origo & religio.*

ANTÆAS rex Schytarum, quod Plutarchus memorat, epiſtolam dedit ad Regem Alexandrum Macedonem hac clauſulâ: Tu quidem Macedonibus viris imperas, qui in hoſtem pugnent; ego autem Scythis, qui famem & ſitim non oppugnare tan-

tùm

tùm, ſed eam etiam ſuperare poſſint tolerando. Hoc dixit: Periiſti Rex Macedo, ſi tibi non ſemper in promptu ſit commeatus: Mei Schytæ hac in parte multò robuſtiores; eſurire ac ſitire didicerunt.

Chriſtianæ diſciplinæ ſcitum eſt ſatis liquidum, neminem nec fortem, nec eruditum, nec ſapientem poſſe cenſeri, qui appetentiam coërcere, qui gulam vincere, qui genium fraudare neſciat: infirmus nimiùm, & ineruditus, ac fatuus eſt, qui ori eſculento non poteſt moderari. Iejunium & abſtinentiam hoc docent, ut hactenus demonſtratum eſt.

Aſſignavimus complura jejunii diſcrimina. Supereſt, ut compendio diſſeramus, quâ origine, auctoritate, religione cœperit quadragintadiale jejunium.

## §. I.

Ab initio naſcentis Eccleſię & Apoſtolorum ævo jejunium majus & vernũ cœptum eſt obſervari.

IEjunium majus & vernum, ſeu hebdomades, quæ anniverſariam Chriſti morientis memoriam præcurrunt, initio Naſcentis Eccleſiæ & Apoſtolorum ævo cœperunt obſervari. Hîc una vox & maximus priſcorum Patrum conſenſus. Teſtes præ aliis Origenes, Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Leo, Bernardus, ceteri.

*Aug. to. 2. epiſt. 119 ad Ianuar. c. 14. mihi pag. 218.*
*Exod. c. 34. v. 28. 3. Re. c. 19. v. 8. Matth. c. 4. v. 2.*

Eruditiſſimus juxtà & ſanctiſſimus Auguſtinus, quem honoris cauſâ jure primum nomino, cujus & libros ſummè veneror & exoſculor, Auguſtinus, inquam, priſcorum Patrum gemma, cælesti luce pleniſſimus de quadragintadiali jejunio maximo diſſertans: *Quadrageſima ſanè*, ait, *jejuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moyſi & Eliæ, & ex Evangelio: quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonſtrans Evangelium non diſſentire à lege & Prophetis. In quâ ergo parte anni congruentiùs obſervatio Quadrageſimæ conſtitueretur, niſi confini atque contiguâ Dominicæ paſſioni? Quia in eâ ſignificatur hæc vita laborioſa, cui opus eſt continentiâ.*

*Aug. to. 4. l. 1. Quæſtionum ſuper Exodum, quæſt. 169. mihi pag. 54. Idem repetit l. 2. de Conſenſu Evangeliſtarum c. 4. mihi p. 171.*
*† Ionæ c. 3. v. 4.*
** Aug. tom 6. l. 30. contra Fauſtũ Manichæũ c. 5. mihi pag. 196.*

Hæc à ſe dicta confirmans Auguſtinus: *non enim fruſtra*, inquit, *quadraginta dies jejuniorum ſunt conſtituti, quibus Moſes & Elias, & ipſe Dominus jejunavit: & Eccleſia præcipuam obſervationem jejuniorum, Quadrageſimam vocat: Vnde & in Hebræo de Ninivitis apud Ionam Prophetam ſcriptum perhibent*, † Quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur: *Vt per tot dies accommodatos videlicet humiliationi pœnitentium, intelligatur in jejuniis ſua defleviſſe peccata, & impetraſſe miſericordiam Dei.*

Hæc eadem Auguſtinus * Fauſtum Manichæum oppugnans explicatiùs ediſſerit ipſiſſimis his verbis: *Chriſtiani non hæretici ſed Catholici, edomandi corporis cauſâ, propter animam in orationibus ampliùs humiliandam, non quòd illa eſſe immunda credant, non olùm à carnibus, verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent: vel ſemper, ſicut pauci: vel certis diebus atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes, quantò magis quiſque vel minùs ſeu voluerit ſeu potuerit. Vos autem ipſam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quòd carnes diabolus operetur fæculentiore materiâ mali: ac per hoc eas, tamquam immundiora & truculentiora Dei veſtri vincula, exhorrentes abjicitis.*

*Aug. to. 10. ſer. 1. feriâ quartâ in capite jejunii at verò de Tempore ſerm. 55. in ordine, mihi pag. 251.*

Idem Auguſtinus ad principium quadragintadialis jejunii auditores ſuos acriter exhortatus: *Ecce*, inquit, *fratres chariſſimi, Deo propitio tempus Quadrageſimæ venit, & ideo rogo dilectiſſimi, ut dies iſtos corporibus ſalubres & animæ medicinales ita cum Dei adjutorio ſanctè ac ſpiritualiter celebremus: ut obſervatio ſanctæ Quadrageſimæ non nobis judicium pariat, ſed profectum. Si enim negligenter agimus, ſi nos minùs occupationibus implicamus, ſi caſtitatem ſervare nolumus, ſi jejuniis & vigiliis & orationibus non inſiſtimus, ſi Scripturas divinas aut ipſi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus, ipſa nobis medicamenta convertuntur in vulnera, & inde habebimus judicium, unde potuimus habere remedium. Et ideo rogo vos, fratres chariſſimi, ad vigilias maturiùs ſurgite, ad tertiam, ad ſextam, ad nonam ante omnia convenite. Nullus ſe à ſancto opere ſubtrahat, niſi quem infirmitas aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis neceſſitas tenuerit occupatum. Infelix voluptas, infelicior cupiditas atque luxuria per tranſitoriam dulcedinem præparant ſempiternam amaritudinem. Abſtinentia verò, vigiliæ, orationes atque jejunium per breviſſimas anguſtias perducunt ad paradiſi delicias: quia non mentitur Veritas, quæ in Evangelio dicit:* Arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. *Nec per latam viam diu gaudetur, nec per anguſtam & aſperam longo tempore laboratur: quia & iſti poſt brevem triſtitiam accipiunt vitam æternam, & illi poſt parvum gaudium patiuntur ſine fine ſupplicium. Et ideo, fratres chariſſimi, in iſtis quadraginta diebus, quaſi totius anni cibaria animæ noſtræ, jejunando, legendo vel orando providere debemus. Nam licet per totum annum Deo propitio, lectiones divinas frequenter & fideliter audiatis, in iſtis tamen diebus de pelago & fluctibus mundi hujus quaſi ad portum Quadrageſimæ confugientes, debemus requieſcere, & lectiones divinas in exceptorio cordis noſtri cum ſilentio & pace ſuſcipere: ut Deo propitio pro amore vitæ æternæ vacantes, quidquid in naviculâ animæ noſtræ per totum annum multis tempeſtatibus, id eſt, peccatorum fluctibus, aut fractum, aut diſſolutum aliquid, aut corruptum, aut perditum eſt, omni ſollicitudine in iſtis diebus reparare ſtudeamus atque componere.*

*Matth. c. 7. v. 14.*

Ita verbum è verbo expreſſit Auguſtinus. Sed hæc omnia, idem divinus ſcriptor dilucidiſſimè ſtabiliens: *Rogo vos, fratres chariſſimi*, ait, *& admoneo, ut in iſto legitimo ac ſacratiſſimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præſumat, niſi fortè ille, quem jejunare infirmitas non permittit: quia aliis diebus jejunare remedium eſt, aut præmium; in Quadrageſimâ non jejunare, peccatum eſt. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam; in Quadrageſimâ qui non jejunat, ſentiet pœnam: & tamen qui jejunare non prævalet, ſecretiùs ſibi ſoli, aut ſi eſt alius infirmus, cum ipſo in domo ſuâ præparet quod accipiat, & illos qui jejunare prævalent, ad prandium non invitet: quia ſi hoc fecerit, non ſolùm Deus ſed etiam homines poſſunt intelligere illum non pro infirmitate non poſſe, ſed pro gulâ jejunare non velle. Sufficiat illi, quòd ipſe jejunare prævalet, & magis cum gemitu, & ſuſpirio, & animi dolore manducet, pro eo quòd aliis jejunantibus ille abſtinere non poteſt. Quòd opus eſt unicuique infirmo, ſecretiùs ſibi ſoli, aut cum alio ſimiliter infirmo faciat præparari: quia non ei oportet, ut aliquem ſanum roget ad prandium, ne ſibi etiam de alterius gulâ augeat peccatum. Pro eo tamen quòd non poteſt jejunare, ampliùs debet erogare pauperibus, ut peccata, quæ non poteſt jejunando curare, poſſit eleemoſynas dando redimere.*

*Idem to. 10. Sabbatho poſt Domin. Quinquag. ſerm. 1. de Temp. ſerm. 62. in ordine p. 256.*

Ab eodem calamo ſunt iſta: *Omne vitæ noſtræ tempus, ſtadium quoddam debemus putare virtutum, & ad cæleſte bravium totâ virtute contendere. Sed hoc præcipuè in Quadrageſimæ diebus implendum eſt, qui abſtinentiæ ac jejuniis dedicati, tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore voluptatem decerpunt. Eſt autem legitimus numerus iſte jejunii, & qui in ſanctis celebratur exemplis. Celebremus ergo hos dies cum omni alacritate mentis & gaudio, & eos omnibus epulis & corporalibus deliciis præferamus. In his enim præcipuè diebus ad implendam Domini voluntatem accendimur, quando maximè per abſtinentiam voluptas carnis extinguitur. Tunc enim ad Dominum, & ad ejus futura promiſſa tota mens purior facienda feſtinat, cum nullâ crapulâ, nullâ cibi ac potûs ſatietate craſſatur. Vnde & Salvator in Evangelio dixit:* Attendite, *itaque* vobis, ne graventur corda veſtra in crapulâ & ebrietate, *& cogitationibus ſæcularibus*, & ſuperveniat in vos dies illa repentina: tamquam laqueus enim ſuperveniet *univerſo mundo, & nemo effugiet.*

*Luc. c. 21. v. 34. & 35.*

## § II.

*Idem ſer. Dominic. quadrag. ſerm. 64. de Temp. in ordine pag. 257.*

SVbjungit ſanctiſſimus Pater: *Sed & illa eſt in Quadrageſimæ diebus grandis utilitas, quòd, dum etiam à licitis abſtinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui*

*enim abſtinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus uti licet: qui nos abſtinemus à vino, quo moderatè uti licet: qui ergo iſta vitamus, quæ aliquando licent, inprimis peccata fugiamus, quæ omnino numquam licent. Itaque ſi volumus bene jejunare à cibis, ante omnia jejunemus & à vitiis. Quid enim prodeſt, vacuare corpus ab eſcis, & animam replere peccatis? Quid enim prodeſt, pallidum eſſe jeiuniis, ſi odio & invidiâ liveſcas? Quid enim prodeſt, vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? Quid prodeſt, abſtinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodeſt, ſi abſtineamus ab his quæ aliquando licent, & faciamus illa quæ numquam licent? Deus enim illos honorat & diligit, qui illicita fugiunt. Sic ergo, ut dixi, jejunemus à cibis, ut multò magis jejunemus à vitiis, ut ſanctorum morum ubertate ſaturemur, ut & in futuro mereamur ipſorum operum retributione ſatiari: ſicut in Evangelio legimus,* Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. *Illam enim compenſationem magis eligere debemus, ut cibis quibus nos abſtinemus, eos pauperibus ac debilibus largiamur: ſecundùm illud quod ſcriptum eſt, Beati qui contenti ſunt eſurie, ut alibi reficiantur. Satis Deo acceptum eſt munus, quando indigens ſaturatur, quando nudus veſtitur, quando ira non perficitur, & iracundiæ tempus non reſervatur, quando malum pro malo non redditur. Tunc grata ſunt Deo noſtra jejunia, ſi illi qui neceſſitate jejunant reficiātur à nobis. Tunc illam Domini ſententiam audire merebimur:* Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis. *O benigniſſimum Dominum ad edomādam hominum avaritiam, qui ſibi dari dicit, quod vel minimo pauperi donatum fuerit. Vobis autem, fratres, præſtet Domini miſericordia, ut ei jejuniis & eleemoſynis in bonis operibus ſerviatis.*

Matth. c. 5. v. 6.

Quādo jejuniū Deo gratum.

Matt. c. 25. v. 40.

Sed eadem denuò ſaluberrimè inſtillans: *Adeſt nobis,* inquit, *venerabile & medicabile tempus Quadrageſimæ, chariſſimi, per quod jejunantes peccatorum noſtrorum vulnera curare debemus.*

Iidem loco eâdem paginâ.

Quod Auguſtinus, hoc & Auguſtini præceptor Ambroſius explicatiſſimè docens, & acerrimè urgens: *Non enim, fratres, leve peccatum,* inquit, *fidelibus indictam Quadrageſimam à Domino non jejunare, & jejunia conſecrata ventris voracitate diſſolvere. Scriptum eſt:* Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. *Si vis ergo Chriſtianus eſſe, debes, quod Chriſtus, facere. Ille qui peccatum non habebat, Quadrageſimam jejunavit, tu non vis Quadrageſimam jejunare, qui peccas? Ille, inquam, peccatum non habebat, ſed pro noſtris jejunavit peccatis. Qualis ergo apud conſcientiam tuam Chriſtianus es, cùm Chriſto pro te eſuriente tu prandes? cùm Salvatore pro te jejunante tu reficeris? Non igitur, ſicut dixi leve peccatum eſt, indictum violare jejunium. Pecude ſtolidior eſt, qui indicto pro ſe à ſacerdote jeiunio non jejunat.*

Ambr. to. 3. ſer. 25. de Quadrag. mihi pag. 308 Baſileenſis editionis.

1. Ioan. c. 2. v. 6.

Obſervatio jejunii Quadrageſimalis eſt ſub peccato.

Eid. to. ſer. 4 de jejunii Ninivitarum pag. 328.

Ambroſio & Auguſtino Petrus Chryſologus in totum accedens: *Videtis,* inquit, *quia quòd Quadrageſimam jejunamus, non eſt humana inventio; auctoritas eſt divina.* Quid dici poteſt explicatius?

Petr. Chryſ. ſer. 11. mihi pag. 260.

Sed urget denuo Auguſtinus, qui quadraginta dies diluvii, velut imaginem & figuram quadrageſimæ exponens; *Hos ſanctæ Quadrageſimæ dies,* inquit, *debemus omni cum veneratione ſuſcipere, nec longiorem numerum hujus temporis faſtidire: quia quantò plures ſunt dies jejunii, tantò melior eſt cauſſa remedii; quantò prolixior abſtinentiæ curſus, tantò redemptio copioſior eſt ſalutis; quantò auſterior cura vulnerum, tantò medicina eſt ſalubrior peccatorum. Deus enim, qui eſt noſtrarum medicus animarum congruens tempus inſtituit, quod & juſtis ſatis ſit ad adorandum, & peccatoribus ſufficiat ad rogandum. Illi requiem poſtulantes, hi veniam deprecantes. Congruens enim tempus eſt Quadrageſimæ, nec breve eſt ad exorandum, nec longum eſt ad promerendum. Quadraginta enim dierum jejuniis, quævis iniquitas peccatoris exorari poteſt, & quantavis ſeveritas judicis mitigari. Illi longum & faſtidioſum fortè ſit tempus, qui nec orat de culpâ, nec ſperat de veniâ. Deſperatio enim nec confiteri de ſcelere, nec indulgentiam novit ſperare de judice. Sanctus igitur & ſalutaris Quadrageſimæ curſus eſt, quo adducitur ad miſericordiam peccator per pœnitentiam, juſtus ad requiem. His enim diebus ſolito ampliùs & divinitas miſeretur, & delinquentia deprecatur, & juſtitia promeretur. Patent enim omnia, & cæli ad indulgentiam, & peccator ad confitendum, & lingua ad poſtulandum. Salutaris, inquam, & myſticus eſt quadragenarius numerus. Nam primùm cùm mundi faciem iniquitas hominum poſſideret, tot dierum curriculo Deus effuſis de cælo imbribus, univerſam terram diluvio ſuperfudit. Vides ergo jam illo tempore myſterium in figurâ diſpoſitum. Nam ſicut tunc quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum, ita & nunc quadraginta diebus miſeretur ad hominem purificandum. Sanctum ergo & ſacratum Quadrageſimæ tempus eſt, quod ſtatim ab initio cœpit, inter juſtos & injuſtos diſcernere, bonos à malis quodam judicio ſeparare. Quod quidem ſimiliter fieri etiam in hac noſtrâ Quadrageſimæ obſervatione perſpicimus. Nam per hos quadraginta dies ſeparantur mali à bonis, hoc eſt, luxurioſus à caſto, à jejuno intemperans, à Chriſtiano Gentilis. Separatur, inquam, malus à bono, hoc eſt, peccator à juſto, diabolus à ſancto, hæreticus à fideli.*

Aug. to. 10. ſer. 1. feriâ 4. poſt Rom. 1. quadrag. de Tempore ſer. 65. mihi pag. 260.

Quadrageſimæ dies cum veneratione ſuſcipiendi,

Quia quævis iniquitas exorari poteſt & ſeveritas judicis mitigari.

Quadraginta dies diluvii fuerunt figura Quadrageſimæ

En, mi Lector, vel unius Auguſtini certiſſimis de Quadrageſimâ teſtimoniis te lapido. Prolixum nimis & tædii plenum, tot aliorum eâdem de re luculentiſſimas aſſertiones recitare. Quod de jejuniis & Quadrageſimâ ſingulariter Auguſtinus, hoc idem Origenes, Epiphanius, Baſilius, Ambroſius, Ioannes Chryſoſtomus, Hieronymus, Petrus Chryſologus, Gregorius Nazianzenus, Leo Pontifex, Bernardus, ceteríque priſcorum Patrum atteſtantur. Quâ ſcriptorum parte id faciant, ad marginem more meo fideliter conſigno.

*Origines homil. 10. in Levitic. Epiphan. in Canon. Apoſtol. Baſilius concione de jejuniis, & in ebrios. Ambroſ. to. 1. 2 3. & 5 ſerm. 13. 24. 25. 26. 27. 34. 35. 36. 37. 38. 40. Chryſoſtomus tomis omnibus compluries. Hieronymus tomo 1 epiſt. 7. ad Letam c. 5. mihi pag. 19. & to. 2. epiſt. 54. ad Marcellam adverſus Montanum, mihi pag. 193 & l. 2. adverſus Iovinianum c. 10. & 11. pag. 170. & ſeqq. & tomo 9. ſerm. 32. de quadrageſim. mihi pag. 117. Chryſologus ſer. 8. 11. 12. 13. 41. 42. 43. de jejunio; de jejunio autem quadrageſimali ſerm. 66. Gregorius Nazianzenus epiſt. 74. Leo Pontifex ſermones 12 de quadrageſimâ ſcripſit, de jejunio Pentecoſtes ſermones 4. de jejunio ſeptimi menſis ſermones novem, de jejunio decimi menſis, &c. ſermones 8. Bernardus ſeptem ſermonibus de quadrageſimâ agit, maximè ſerm. 3. & 4.*

## §. III.

CVr autem, inquies, quadraginta, non plures, non pauciores dies huic jejunio dicti? origo varia, rationes diverſæ. In compendium confero. Humanis gentis deliciæ, Chriſtus Servator, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus jejunavit. Nos capitis iſtius membra, caput imitari nitimur quà licet. Ad iſtud porrò jejunium ne infirmè animati ſimus, ſtimulum addens Ambroſius: *Quadrageſimam nobis,* inquit, *Dominus ſuo jejunio conſecravit.*

Cur quadraginta, non plures vel pauciores dies huic jejunio dicti ſunt?

*Ambr. ſer. 34.*

Deinde Moſes divinam legem accepturus bis quadraginta dies jejunavit. Haud aliter Elias Iezabelem fugiens, dum ad Horebum montem properaret, quadraginta itidem dies jejunavit. Obſerves hîc velim, Lector, Chriſto Domino vitæ diem unicum fuiſſe ceteris lætiorem, quo rupem Taboreiam radiante vultu niveáque veſte colluſtravit. Hoc ipſo lætiſſimo die inter jejunatores duos principes, qui quadragintadiale jejunium ſervarant, de exceſſu ſuo ſermonem miſcuit.

*Luc. c. 9. v. 32.*

Imbres diluvii, quod orbem univerſum ſepeliit, diebus quadraginta continuis tenuerunt. Hebræus populus annis quadraginta per vaſtiſſimam ſolitudinem iter habuit. Quid noſtra omnis vita eſt, niſi dies pauculi pœnitentiæ dicti, quibus eluctandum è terrâ deſertâ & inculta

Inſuper jejunio vernoveluti manipulos decumanos damus totius anni. Dies trecentos ſexaginta quinque annus complectitur. Iſtius numeri ( quod Gregorius pulchrè notat ) pars decima, ſunt dies ſex & triginta. Quadrageſimæ dies quatuor primi, vel poſtremi quatuor ſunt præcipuè Chriſto crucifixo ſacri. Ita jejunia quadragintadialia totius anni decimæ ſunt. Ideò quivis apud ſe ſtatuat: Ego decimas meas pro viribus pendam fideliſſimè, memor divinæ juſſionis: *Decimas & primitias tuas non tardabis reddere.* Tantò plus autē gratiæ divinæ potero ſperare, quantò plus fidelitatis in hac parte voluero exhibere. Decimas non tardabo reddere.

*Iejunium quadragintadiale eſt totius anni decima.*
*Exod. c. 22. v. 29.*

Iam alia quadragenarii numeri myſteria ſilemus: Vociferatur Ionas Propheta: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* Chriſtus hebdomadibus quadraginta in utero virgineo delituit, poſt Natalem die quadrageſimo in templo eſt oblatus. Quadraginta menſibus Hebræum populum diviniſſimis ſuis concionibus erudiit. A morte quadraginta horis reditum ad vitam tranſtulit. Iam redivivus quadraginta diebus ſpectandum ſe ſuis & palpandum præbuit, non eorum ſermonibus tantùm, ſed & menſæ præſens & verba cum illis miſcuit, & illorum cibos non rejecit. Tam Hieroſolymorum urbem quàm Salomonis templum, quod quidem quadraginta ſex annos ad ſui ſtructuram petiit, anno quadrageſimo à Chriſti nece Romani expugnarunt, & vaſtarunt. Ita multiplex numeri quadragenarii eſt obſervatio.

*Iona c. 3. v. 4.*
*Quadragenarii numeri myſteria.*

Anno nongenteſimo quadrageſimo ſeptimo, quod Cæſar Baronius narrat, Elphegus † Vintonienſis Pontifex in Angliâ, ipſis cineralibus ſuos è ſuggeſtu docuit, quâ ratione tam conjugium caſtè quàm jejunium illud maximum ſtrictè ſervarent. Inter auditores dicax aliquis irriſor concionem cavillatus & ludos faciens: Sacerdos noſter, inquit, jejunium exaggerando nimiùm nos urget: Egône meus ipſe tortor alimoniâ fraudem genium, inſuper & uxorem hoc cineralium tempore velut ſororem habeam? Non eſt ad meum ſtomachum hæc concio. Vale concionator; ego meis vivo legibus. Antiſtes ubi hoc reſciit, jam triſtis: O miſer, inquit, quàm neſcis, quid tibi ventura pariat dies! At homo joculator vaticinium ludibrio habens, & indulgens epulis, luce poſterâ in lecto repertus eſt mortuus. Dubium, diabolus eum præfocârit, an ſuo perierit fato.

*De hoc Baron. tom. 10. anno 947. mihi pag. 736.*
*† Alia editiones: Ælfegus VVintonienſis Epiſcopus.*

Deus quantumvis infinitè miſericors, neminem umquam tamen jocari ſecum eſt paſſus. Cui vires non ſuppetunt ad tolerandam abſtinentiam, is fame cruciet crumenam, & pecuniam quam illi ſubtrahit, in pauperes liberaliùs effundat, ſeipſum precibus exerceat, aliiſque modis ſarciat, quod jejuniis deceſſerit. Chryſoſtomus iis quibus infirma valetudo eſt, prudenter conſulens, & victimam ſuccedaneam monſtrans: *Igitur,* inquit, *qui cibum accipit, & jejunare non valet, 1. Largiorem det eleemoſynam. 2. Ferventior ſit in precibus. 3. Majorem habeat alacritatem in audiendis divinis eloquiis. 4. Inimicis reconcilietur, omne odium & vindictæ cupiditatem ex animo effuget.* Ita quod jejuniis deeſt, eleemoſynis ac precationibus accedat. Majoris jejunii tempus profectò non ſpernendum, non negligendum.

*Chryſ. to. 1. in c. 1 Gen. hom. 10. mihi pag. 50.*

## §. IV.

POlonorum rex Vladiſlaus munitiſſimum caſtrum Pomeraniæ Naclum obſedit, quod Martinus Cromerus memorat, Miles regius pœnitentiæ dies ſúſque déque habuit, carnes epulatus liberrimè, ſed non impunè. Nam qui excubias egerunt, nocte illuſtri aliquoties videre ſibi viſi ſunt aliquot alas equitum hoſtilium ad Polona caſtra tendentium. Larvæ ac nocturni lemures erant. Poloni demum indignati hoſtes non aperto Marte ad conflictum progredi, è caſtris agminatim provolarunt, cedentibus inſiſtentes, ſed fruſtra. Nam cum larvis pugnare vanum. Obſeſſi tumultu hoſtium excurſúq; percepto, eruptionem ſubitam fecerunt & militum ſtramineas caſulas ſuccenderunt. Mox latè omnia populatus ignis plurimos in caſtris conſumpſit. Alii hoſtem non aſſecuti, caſtris interim in prædam relictis ſunt exuti. Ita re infectâ Naclum obſidione ſolutum eſt. Eccleſiæ leges non evertuntur impunè; Deus vindex eſt. Effatum Chriſti Domini non ignoramus: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Hinc Concilium Toletanum ita ſtatuit: *Qui Quadrageſimam non jejunaverint, in Paſchate priventur communione & per annum carnibus abſtineant.*

*Seu Reudignorum.*
*Eccleſiæ leges non evertuntur impunè.*
*Matt. 18. v. 17.*

Anno à Virginis partu milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto Ludovicus Naſſovius Comes, quod diverſi narrant, exercitum, qui è Geuſiis ferè conſtabat, ſub ſignis habuit in Belgio. Miles religionum omnium contemptor, in majori ſacrâ hebdomade carnibus veſcebatur non ſine inſultatione ac tripudio. Non procul inde Parochus ſuos acriter hortatus eſt, religiones priſcas non deſinerent, malis militum tracti exemplis: Verendum ſanè, ne qui Paraſceven tam lætam agerent, triſte Paſcha ſentirent. Vox omen habuit, & quod prædixerat, evenit. *Adhuc eſcæ eorum,* quod Pſaltes canit, *erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Nam feriâ quartâ Paſchatis immiſſus in eos exercitus Hiſpanus, qui non ſolùm hoſtiles copias omnes delevit, ſed ipſum etiam Comitem Naſſovium, & univerſos ferè duces ferro demeſſuit, pauculis fugâ ſervatis. Tacito inſerpit pede vindicta divina, & nonnumquam ſera venit, ſed venit tandem ac tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Fixum firmum eſt decretum: *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*

*Tilman. 7. Sacra collat. ... Gerhard. Cand. ... appendix hiſtor. ... gicar. ... jus ... facit.*
*Pſal. 77. v. 31.*
*Matt. 18. v. 17.*

Hipponenſis Præſul Auguſtinus in litteris quas ad Xantippum Numidiæ primatem dedit, graviſſimè accepit unum aliquem ſuorum ſacerdotum in pervigilio Naſcentis Chriſti non jejunaſſe. Et quia idem ſacerdos pecuniam ſuæ fidei commiſſam in ſuos uſus exercuit, & pridie Natalis Domini, ut diximus, apud feminam nonnihil ſuſpectam prandit ac cenavit, ſacerdotio ſe abdicare juſſus eſt. Auguſtini verba ſunt: *Ideo ab officio presbyterii removendum arbitratus ſum, timens ei Eccleſiam Dei committere, ne ſi quid pernicioſius eruperit, imputetur mihi.* En piaculum grandiſſimum nocte unicâ non jejunaſſe! Quòd ſi Quadrageſimam totam, aut complures in eâ dies abſq; jejunio tranſmiſiſſet, quid tunc dicturum fuiſſe Auguſtinum credimus? *Sit tibi ſicut ethnicus & publicanus, qui Eccleſiam non audierit.* Hieronymus Auguſtino coævus: Nos unam, inquit, Quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus.

*Aug. epiſt. 236. ad Xantipp. Baron. tom. ... anno 421. n. 64.*
*Loco citat.*
*Hieron. ... epiſt. 54. ad Marcell. mihi pag. 193.*

Numerus quadragenarius ad actionem iſtam ſingulariter Deo probatur. Ludovicus Pius Imperator, teſte Aimonio, quadraginta dies ſolennis jejunii precando, jejunando, eleemoſynas dando tranſigere conſuevit. Filius ejus Ludovicus anno octingenteſimo quadrageſimo in Germaniâ contra parentem arma movit rebellia. Pater Ludovicus in Germaniam magnis itineribus contendit, quo quidem tempore tam horribilis interdiu fuit eclipſis, ut nemo noctem diceret. At Ludovicus Imperator non procul Moguntiâ morbo eſt oppreſſus. Hic animo per exomologeſin expiato, quadraginta diebus nec cibum ferè alium nec potum quàm Euchariſtiam admittebat. Toto morbi tempore illud aſſiduè ingeminabat: *Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Et quia Quadrageſimæ tempus aliàs eâ quâ debebam abſtinentiâ non exegi, jam

*Pſal. 118. v. 137.*

ſaltem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſaltem dictante neceſſitate jejunia, quibus obligatum me fateor, perſolvam. Ita theſauris in pauperes & templa tributis ſanctiſſimè diem ſuum obiit eo, quem diximus, anno octingenteſimo quadrageſimo, die vigeſimâ primâ Maii, annos natus ſexaginta quatuor, cùm annis viginti ſeptem imperaſſet. Bene Ludovice, qui etiam in extremâ invaletudine jejunii religiones amplexus, obſequens Eccleſiæ filius finire voluiſti.

Greg. Naz. ep. 74. & ex Baron. an. 4. anno 314.

Gregorius Nazianzenus Eleuſium Præfectum ſibi familiarem, ob jejunia neglecta, non ſine aceto corripiens: *Legibus*, inquit, *injuriam facis, ô Iudex, qui non jejunas. Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, ut aut malus fias, aut malus exiſtimeris. Et quomodo leges humanas ſervabis, ſi divinas contemnis? In ſummâ, ô Iudex, futurum ſcito, ut judiceris & minùs peccabis.* Iejunium, ut Petrus Chryſologus loquitur, *virtutum vita, vitiorum mors, meritorum ſchola.*

Petr. Chryſ. ſer. 18. mihi pag. 16.

## CAPVT X.

### *Quænam ſingulariter valetudini obſint, vitam extinguant.*

Apoc. c. 10. v. 3. & 4.

APOCALYPTICVS ille Angelus Ioannes cælo attendens oculos: *Et cùm clamaſſet*, inquit, *locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas. Et cùm locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram. Et audivi vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere.* Quid obſecro, locuta ſunt ſeptem hæc tonitrua, quas ediderunt voces? Inter alias & hæ voces ſunt exceptæ: *Quia tempus non erit ampliùs, & conſummabitur myſterium* Dei. Mors ergo & interitus rerum omnium hoc novo loquendi modo ſignificabatur.

Septem diverſæ cauſſæ, ob quas innumeri quotidie moriuntur.

Sed etiamnum hæc ſeptem tonitrua loquuntur, & non niſi plurimorum mortes. Sunt nimirum ſeptem diverſæ cauſſæ, ob quas quotidie innumeri moriuntur. Cùm autem inter has ultima quidem ſed princeps ſit Gula, ſive intemperantia, jejunii capitalis hoſtis, has ſeptem immaturi obitûs cauſſas percenſere animus eſt; ſingulis certum ſed unicum aſſignabimus nomen. Loquantur igitur ſeptem tonitrua. Ordine ſed ſtricto vagabundæ ſimul & numeroſiſſimæ mortis cauſſas enumerabo.

### §. I.

1. Cauſſa: Mador.

I. CAuſſa, MADOR. Hieronymus Cardanus in erudito illo de Subtilitatibus volumine, cenſet eos, qui frigidis & inſuper madidis pedibus accumbunt menſam & comedunt, letalem valetudinis noxam cōtrahere. Pedes frigidi caput & ſtomachum malè afficiunt, ſi ad frigus accedat mador, geminatum malū. Si deinde ſtomacho adeò non diſpoſito ingeratur cibus, certa noxa. Hinc paullatim tuſſicula, tabes, &, quod peſſimum, ignorantia mali, hinc & mors.

2. Calor.

II. CALOR. Idem, quem dixi, ſcriptor & hanc alteram aſſignat cauſſam quotidianorum funerum, quando qui æſtuant aut ſudant, caput, pectus aliáſque partes corporis aperiunt, & auræ frigidiori ſeſe exponunt, valetudinis certo diſpendio. Sunt plurimi qui ubi calorem moleſtiorem aut ſudorem ſentiunt, mox pileum abjiciunt, thoracem diloricant brachia denudant, ſubinde frigidâ mergunt, gelidiorem ventulum avidiſſimè recipiunt, jacturâ ſanitatis letali. Nam per laxatos undique poros immiſſum frigus membra omnia latentiſſimè occupat. Senſim inde morbi ſontici, & ultima valetudo.

3. Triſtitia.

Prov. c. 17. v. 22.

III. TRISTITIA. Res certa è Salomone: *Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.* Sunt qui à curis & ægrimoniâ nocte unicâ incanuerint. Cùm hominem mœror & luctus exedit, ajunt cor ad inſtar pyri toſti contrahi ac corrugari, unde malum non ſimplex naſcitur. Hinc lenta ſæpe & luctifica mors. Ægrimoniæ, lacrymæ, mœſtitia medullas hauriunt. Edaces curæ ni ſopiantur, cor macerant & conſumunt. Mœrores animos exedunt, conficiúntque anxitudine. Mœror & mors cognati ſanguinis ſunt.

### §. II.

IV. IRA. Phreneſis eſt hic affectus & inſania, ſed brevior. Iratum conſidera, vix quidquam ab inſano differt, niſi quod citiùs ad ſe redire poſſit. Ira in omne corpus effundit bilem largiſſimè. Hinc morbus non unus, hinc multiplex interitus, & immatura mors. Novi ego ipſe viros optimates, quorum ſingulis inſtillabant medici præceptiunculam hanc crebriùs: Domine, ſi vitam amas, iracundiam & largiores calices vita. At illi nec vitare calices, nec frenare bilem conati, voluntariam ſeſe victimam objecerunt morti. Tales ſumus; perire malumus, quàm modicum vel iræ vel gulæ imperare. 4. Ira.

V. LVXVRIA. Vitam libidinoſam & ſpurcam maximum valetudinis & vitæ diſpendium, certúmque mortis eſſe prodromum, ſummi medicorum exactiſſimè docuerunt, quod in meo Nicetâ fuſiùs oſtendo. Videte Regem Salomonem, qui educatus in deliciis inter gynæceum conſenuit, ſui parentis annos nequaquam attigit. Rex David Salomonis parens juventutem in pecoris cuſtodelâ poſuit, famem ac ſitim tolerare doctus, dein vario penuriæ & bellorum turbine agitatus, *in ſenectute* tamē *bonâ & plenus dierum mortuus eſt*. Salomon filius nec paupertatem nec Martem expertus, in gynæconitide ſuâ & vires & vitam lōgiorem perdidit. Vita ſalax & libidinoſa, vita brevis. 5. Luxuria. 1. Paral. c. 29. v. 28.

VI. PHARMACA. O quantos ſepelierunt pharmacopolæ potiùs quàm veſpillones! nec medicos, nec medicorum ſcita, nec pharmaca rejicimus, ſed pharmacorum multitudinem & varietatem extremè damnamus. Pannus cùm lavatur, fit quidem nitidior, ſic tamen crebriori lavatione atteritur, ut demum pertundatur; ita prorſus humanum corpus medicamentis toties purgatur, exſiccatur, attenuatur, ut tandem penitus corrumpatur, & in tabem eat. Novi virum principem, quem ſeptem medicorum placita ſuaviter deduxerunt ad plures. Potuiſſet vir iſte vivere, ſi faber ferrarius aut ſector lignarius fuiſſet, quem pauperies copiâ pharmacorum abſtinere coëgiſſet. Memini medicorum principem dicere: Cavete à nobis, quantum poteſtis. Nec ignoramus peritiſſimos è medicis, parciſſimos in porrigendis pharmacis extitiſſe. Complures novi viros feminâſque poſt ſumpta pharmaca cœpiſſe feriò ægrotare, quibus antea conſtabat ſanitas. Sed ita inquiunt, cavēdus eſt morbus. Si morbum acceſſere ſit cavere, non malè ratiocinamini. Invaletudinem ſatis cavet, qui ſemel iterúmque per annum alvi ductione corpus eluit. Mors in ollâ, viri, ubi pharmaca tam crebra & multiplicia. At ſunt homines ſui tam perditè amantes, qui autument valetudinem ſibi conſtare non poſſe, niſi omnes pæne pharmacopolarum ollas & pyxides liguriendo exhauriant. Hi beneficiis pereunt, & ſanitatis adjumentis præmaturam ſibi acceſſunt mortem. Suo ſe gladio jugulant, ſed aureo vel argenteo. 6. Pharmaca.

### §. III.

VII. GVLA. Hoc ſeptimum eſt tonitruum, ſeu cauſſa princeps infinitorum quotidie morborum & funerum. Multi cadunt ferro, ſed longè plures uſu ciborum immodico. Quotidiana hîc loquūtur funera; de plurimis eorum veriſſimè dicitur: Hic homo mortuus, & hic, & ille, & iſte, & iſte, & etiam iſte 7. Gula.

diutiùs potuiſſet vivere, ſi potuiſſet parciùs edere, aut à potu magis tēperare. Innumeros patinæ & pocula in terram detodiunt. Innumeri poſſent longiore frui vitâ, ſi vellent breviorem pati menſam. Nos ridiculi homines cùm ægro ſumus corpore, aut maligniori auræ, aut habitationi incommodæ, aut fatigationi nimiæ, imò libris & ſtudiis culpam invaletudinis iniquè impingimus. O caſſas inertium cauſſas! ò mortales deliri! non illa hominem ambientia tot conflictus, tantos dolores in corpore humano movent; ſed illud, quod per os immittitur, mali eſt origo; hoc dolorū ſeminarium, hoc ægrotationis principium, hoc omnium morborum cauſſa. Non nego humidum aut malignum aërem, incommodam habitationem, nimiam laboris aut ſtudiorum contentionem, veſtitum tempori non congruentem valetudini aliquantulum officere, ſed hæc homo temperans facilè vincit. Non enim iſta ſunt quæ tantam in homine intemperiem, tot bella excitant, ſed cibus & potus; immodicus hi hoſtes inquilini corpus morbis opprimunt. Vbi vera temperantia, ibi certa ſanitas.

Sed ut homines ſanos taceam, qui novas intemperantiæ formas in dies inveniunt: nec apud ægrotos quidem tuta eſt temperantia, non ſemper vitio ægrotorum, ſed ignorantiâ eorum aut indulgētiâ, qui ægris adſunt. Mos certè invaluit, ſed ex inſcitiâ horribili, ægrotis ſemper obſonii aliquid aut potionis infundere, ut infelix ſtomachus numquam reſpirare poſſit à ſuis laboribus. Plurimi decumbentium alternis ferè horis paſcuntur, ita ſexies aut ſepties in die accipiunt cibum; non rarò mediis noctibus paratur offula, quæ nauſeabūdo ſtomacho obtrudatur. Quaſi verò ſanitatis cardo in eo verſetur, ut ægrotus quàm creberrimè nutrimentum glutiat. Hoc nutrire non eſt, ſed omnem nutriendi vim extinguere. Ante omnia illud ſpectandum, ut quod ſumit æger, quantumvis exiguum, rectè concoquat. Adeóque ſi æger toto aliquo die præter offulam, aut par ovorum, aut ſimile quid libaret nihil, modò probè concoqueret, ſat nutrimenti haberet. Sed medicus, inquis, hoc mihi permittit, imò præſcribit. Plerumque conniventiam eſſe ſcias, non imperium. Et certè votis omnibus optandum, præſtantes illi valetudinis judices in hominem ægrum ſeveriores eſſent, & velut dictatores explicatiſſimis imperiis juberent: † Hoc omitte, hoc cave; tantum comede, tantum bibe; nec miculam nec guttulam adde; in die bis térve, ſummum quater reficere, non ſæpiùs. Hæc mitiſſima ſimul & ſaluberrima in ægrum crudelitas foret.

*Aurum potabile, Cretici aliquid aut Falerni.*

*† Galenus l. 5. de ſanitate tuendâ mihi pag. 275. Tutius eſt, inquit, imbecillo ſeni ex guū dare ter de die, ſicuti Antiochus medicus ſolitus eſt ſe cibare.*

Sed plerumque hæc talia velut momenti minoris & plebeiæ ſcientiæ minùs curantur, dum in ſolis laboratur pharmacis. Pace veſtrâ dixerim, ô viri doctiſſimi, princeps optimúmque medicamentum eſt abſtinentia, ſeu legitima diæta. Non neſcio Galenum ſcripſiſſe contra Diatritarios, qui omnibus ferè ægrotantibus præſertim febrientibus continuò triduanam inediam imperarunt; non ignoro deſtillationes ſalſas & morbos bilioſos inediæ nonnihil eſſe impatientes. Nec ego famem triduanam omnibus præcipiendam ſuadeo. Hoc unum contendo, abſtinentiam in omni ferè valetudinis gravitate eſſe ſaluberrimam. Millies iterúmque millies inculcandum: *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.*

*Diatritariorum auctor Theſſalus, quem pluribus locis oppugnat Galen. maximè l. 4. de Methodo med. c. 4. & l. 2. de Criſib. c. 3. Eccli. c. 37. v. 34.*

## §. IV.

HOc & omnes ſcholæ docent, & experientiæ clamant quotidianæ. Hoc ipſum ſæpiùs jam nota Salerni ſcita ingerunt:

*Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum*
*Parce mero, cenato parum.* ——

*Nec vini multū, nec aquâ non prædomitū bibas.*

Et quamvis ſemper noceat copioſiùs cibos ingerere, ſingulariùs id tamen in cenâ officit. Hinc ſapiens illud monitum:

*Ex magnâ † cenâ ſtomacho fit maxima pœna:*
*Vt ſis nocte levis, ſit tibi cena brevis.*

*† Long. Schola Salernitana c. 5.*

Cena ſobria & parca conciliat primò ſomnum facilem & ſuavem, inſomniis tetris carentem: deinde eam temperiem humorum efficit, ut nec cholera, nec melancholia, nec phlegma, nec ſanguis exuperet, atque ut inter ſeſe quatuor hi humores ſervent proportionem, in quâ valetudo conſiſtit. Tertiò tuetur ſuam ſtomacho quietem, quâ modicum cibum commodiſſimè digerere poſſit & diſtribuere. Quod veriſſimè dixit jam ſuprà laudatus Siracides: *Somnus ſanitatis in homine parco. Quàm ſufficiens eſt homini erudito vinum modicum; & in dormiendo non laborabis ab illo.*

*Eccli. c. 31. v. 24. & 22. Temperan[tia] & bonis moribus [in]ſtituto.*

Sed ex eodem, quod diximus, lyceo prodeunt & hæc ſaluberrima valetudini monita:

*Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant*
*Hæc tria: Mens hilaris; Requies; moderata Diæta*[a].

*Monita valetudini ſaluberrima.*

Hæc vitam ſervant & valetudinem. Paulus de Palatio cogitatè adſtruens[b]: *Etiamſi*, ait, *natura homini dies vitæ conſtituerit, ille tamen eos prorogare poteſt, ſi à copiâ cibi abſtineat.* Nec dubitavit vir ſapiens liberrimè pronunciare, omnes pænè homines mori gulâ. Quàm enim pauci ſunt, qui non ſubinde metas Temperantiæ tranſiliant[c], præſertim in conviviis & opimioribus epulis. Et hæc intemperantia, præcipuè crebriùs repetita, minuit vitam, & accelerat mortem.

Omnis ſaturitas noxia. Numquam ad ſatietatem, infra illam ſumpſiſſe cibum ſemper profuit[d]. Hippocrati ſanitatis mater Indigentia. Sapienter igitur Martinus Dumienſis[e] Epiſcopus Mironem Galliciæ regem monuit: *Ede citra ſatietatem; bibe citra ebrietatem. Ita nec præſentibus deliciis inhærebis, nec deſiderabis abſentes. Victus tibi ex facili ſit, nec ad menſæ voluptatem, ſed ad cibi neceſſitatem accede. Palatum tuum non ſapores excitent, ſed fames. Deſideria tua parvo redime.*

Reverà parvo fames conſtat, &, quod Venuſinus vates dixit[f]: *Vivitur parvo bene.* Quod autem ſanitati ac naturæ ſatis eſt, delectationi & gulæ parum eſt.

Moguntinus Præſul[g] Rabanus Maurus: *Manifeſtum eſt*, inquit, *quòd parcus & tenuis victus tam corpori quàm animæ utilis ſit: & è contrario ſuperfluus cibus vel potus ægritudinem generet, & ſenſum animæ minuat.* Sobrietas & abſtinentia, mater eſt ſanitatis æquè ac ſanctitatis, caſtitatis æquè ac ſapientiæ. *Epularum largitas*, beato Hieronymo teſte, *corpus frangit & animam.* Quæ divus Athanaſius ſapienter confirmans[h]: *Corpora ægra*, inquit, *curationis & abſtinentiæ beneficio reſtituuntur; reſtituta verò per negligentiam & repletionem paullatim relabuntur, & ad eoſdem morbos recidunt.*

Priſcus & ſapientiæ famâ celebris Hebræus ſcriptor erudito luſu dixit[i]: *Qui carnem multiplicat, vermes multiplicat: qui multiplicat opes, multiplicat dolores; qui multiplicat ſervos, multiplicat fures; qui multiplicat ſtudium, multiplicat ſapientiam; qui multiplicat conſilium, multiplicat prudentiam; qui multiplicat juſtitiam, multiplicat pacem;* ita qui multiplicat abſtinentiam multiplicat vitam; qui multiplicat ſobrietatem, multiplicat valetudinem; qui multiplicat jejunia, multiplicat vivendi ſpatia. His beatus[k] Leo velut clauſulam addens: *Semper ergo felicior eſt*, inquit, *parca temperantia, quàm profuſa luxuria. Abſtinendum eſt itaque, dilectiſſimi, ab his quæ nobis noxiè blandiuntur.* Profectò nocet empta dolore voluptas.

*a Schola Salernita. [de] animi pa[...] thematis [...] remediis ge[...]neralibus. b Paulus [de] Palatio c. 37. Eccl. fine mihi pag. 587. c Horat. [l.] Carm. [od.] 18. ad Va[...]rum, Tran[...]ſiliunt m[...]nera Liber[i]. d Hippocr[...] [...] eodem pe[...] [...] e Martinus Dumienſis Epiſc. libello ad dictum regem. f Horat. l. Carm. [od.] 16. g Raban. [...] c. 31. Eccl. Vixit Rabanus anno 835. h Athanaſ. apud Antion. Meliſ. parte 1. c. 57. i Rabbi Hillel, in Pirke Avoth, hoc eſt, in apophthegm. Patrum c. 2. k S. Leo ſerm. 8. de jejunio ſeptimi menſis mihi pag. 252.*

## §. V.

TRiplex inſtrumentum eſt medicinæ, Chirurgicum, Pharmaceuticum, &, ut loquūtur, Diæteticum. Morbus Chronius, quem appellant, ſeu diuturnus, nec chirurgiâ licet peritiſſimâ, nec ullâ pharmacorum præſtātiâ vel copiâ depelli poteſt, ſi deſit diæta

*Triplex Medicinæ inſtrumentum. Chronicum etiā vocant.*

*In aulâ Sereniſſ. Electoris, Bavariæ Ducis Maximiliani, &c.*

& abſtinentia. Ita cū aliis ſentiunt Palatini jam ſuprà laudati principes Medici, Dom. D. Georgius Grembſius, Dom. D. Ferdinandus Sagittarius, Illuſtris; Dom. D. Antonius à Colle Comes de Cæſanâ, Dom. D. Thomas Thirmair. Ex his clariſſimus Dominus D. Ferdinandus Sagittarius affirmatè: Scio, inquit, qui toto anno ſingulis menſibus ſemel minimùm aut ſæpiùs iſchiade laborarit, per ſolam Quadrageſimam jejunii tempore ab eâ immunis fuerit. Idem celeberrimus medicus viro minimè plebejo de intemperiis ſtomachi conqueſto, ingenuè ac familiariter: Mi Domine, ajebat, ſi te curare velis abſtinentiâ, mihi crede, non indigebis ſocculatâ.

*Medicus jubiatica dicitur.*

*Vitrum medicamenti genus eſt: Bolum vocant.*

Hoc idem innumeris aliis amicè inſtillandum: O boni Domini, & Dominæ, ſi curare voſmet velitis abſtinentiâ, non indigebitis profectò tantâ pharmacorum copiâ. Si vobis faſtidio eſt medicina, ſit brevior & tenuior menſa. Amatis longiorem vitam? amate priùs ſtrictiorem abſtinentiam, & obtinebitis certò, quam deſideratis, productiorem vitam. Horretis morbos? cavete cibos præſertim tam varios & immoderatos: ſit parcior potus, & erit tranquillior ſomnus: demite ori, quod adjectum cupitis valetudini. Res exploratiſſimæ veritatis eſt:

*Gulæ cliens ſanitatem ſeriò amare non poteſt.*

Anno Chriſtiano milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo Baſileenſis Pontificis medicus, vir clariſſimus Claudius Deodatus trigeminum volumē edidit Bruntruti, quod Pantheon hygiaſticum inſcripſit: in eo fusè ac eruditè docet, quâ demum ratione vita humana ad annos centum viginti quatuor poſſit produci. Promiſſum, inquis, magnificum, & perquàm gratum. Sed quis affundit ſumptus ad tantam vitæ prolatationem neceſſarios? Leviſſimis, mi Lector, impendiis hæc vitæ prorogatio conſtat. Præcipuus hîc ſumptus eſt, parcè prandere, parciùs cenare; ſaturitatem fugere, genium fraudare, accuratam cibi potúſque abſtinentiam præſtare. Hi ſumptus illi ſunt, hos impende, & multos vitæ annos emiſti. Ita luculenter & quidem chirographo ſuo teſtantur celeberrimi illi, quos honoris cauſſâ nominavi, Sereniſſ. Electoris Maximiliani, Bavariæ Ducis, &c. Archiatri.

*Pharmacū primum, Abſtinere.*

Primum igitur ægroti pharmacum ſit abſtinentia & congruum ipſi jejunium. Imò quod Demoſthenes de Elocutione aſſeruit, idem hîc de abſtinentiâ pronuntiandum. Nam interroganti, quod primum ac primarium ſit pharmacum, rectè dixeris: Abſtinentia. Quod alterum? Abſtinentia. Quod tertium? Abſtinētia. Sed hoc ſæpiſſimè nolunt ægroti, & diſſimulant medici. Ego certè complurium ægrotorum diætas conſiderans, vix ullam reperi ſatis abſtinentem & parcam. Apud homines etiam tenuiores hæc miſerabilis viget ignorantia, noxiáque obſervatur benevolentia, ut mulierculæ quæ aſſident ægrotis, tum demum verè ſedulas ſe credant, ſi ægro identidem aliquid infundant, viribus, ut ajunt, reparandis. Perſuaſio ſanè fatua collapſas vires reſtaurari non poſſe niſi tam variis tot liquorum infuſionibus. Pharmacorum tutiſſimum, *Abſtinere.*

## CAPVT XI.

### *Epilogus dictorum omnium.*

IEIVNII utilitatem, modum, neceſſitatem docuimus. In compendium dicta conferimus. Et nil hactenus dixerimus: Vnus pro mille teſtibus è ſuggeſtu clamat Chryſoſtomus: *Mirare igitur jejunium,* inquit, *& illud cum omni aviditate tuis amplexibus feſtina ſuſcipere. Quando enim & in flammâ prodeſt, & in lacu leonum ſubvenit, & ſpiritus propulſat immundos, & divinam ſententiam mitigare novit, & ad libertatem revocare conſuevit; quis hujus inſaniæ reperitur, qui velit jejunii tantorum bonorum materiam declinare? Sed dicis: Corporibus exinde generatur infirmitas. Sed quantùm exterior conteritur, tantùm interior renovatur de die in diem. Imò ſi diligenter ſcrutari volueris, invenies jejunio corpora validiùs roborari. Et ſi meum ſermonem, reſpuis medicorum te doceat diſciplina: qui parcitatem, ſalutis nominant matrem. Nam pedum dolores, capitis vertiginem, ſubitaneas mortes, & cetera quibus febris atque languores corporis comparantur, ex luxuriis atque voluptatibus ajunt generari, & tamquam de fonte noxio rivos ad corporū læſionem, & ad animarum perturbationem commeare teſtantur. Non igitur jejunium timeamus, & ideo nos frequenter admoneo ad jejunium, veluti mitigationē, ne multo nos vino & luxurâ ſaginemus. Et ideo deprecor, ne jejunii meritum delicioſis voluptatibus præoccupatum, non mereatur effectum. Nam ſicut ii, qui medicinali remedio potari diſponunt, ſi non fuerint diligenti abſtinentiâ præparati, fructum remedii ſentire non poſſunt: ita & ii, qui poſt crapulam ad jejunium veniunt, remedium non agnoſcunt. Et ideo ſobrio animo ad jejunium confugiamus.*

*Chryſ. to. 1. de Ionâ propheta hom. citatâ mihi pag. 1257.*

Omnium priſcorum Patrum vocibus jejunium multò laudatiſſimum eſt. Atque ut paucis plurima complectamur, de jejunio hæ Patrum voces ſunt. Iejunium modeſtiæ principium, fructuoſa naturæ violentia, malarum cogitationum fuga, gulæ victoria, inſigne lumen animæ, interioris hominis refectio, orationis munditia, mentis cuſtodia, meritorum ſchola, luxuriæ reſtinctio, noxarum abolitio, contritionis janua, intemperantiæ diſciplina, Angelorum vita, quietis occaſio, obedientiæ cuſtos, tranquillitatis parens, robur animi, ſpiritûs vigor, radix gratiæ. Iejunium ſalutis alimentum, libidinis trophæum, caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, humilitatis argumentum, concupiſcentiæ triumphus, imbecillitatis allevamentum, ſanitatis aſylum. Iejunium omnis eſculenti condimentum, valetudinis ſummum præſidium; jejunium pœnitentiæ fundamentum, crapulæ antidotum, ægrotationis remedium, contractæ culpæ excidium, fidei vexillum, peregrinationis neceſſarium viaticum, reconciliationis acceptum ſacrificium, omnis piæ actionis adjumentum maximum. Iejunium prorſus eſt Aloë [a] ſaluberrimi, licet amarioris ſucci, jejunium verè pharmacum eſt pharmacorum omnium præſtantiſſimum. Iejunium mors vitiorum, incrementum & vita virtutum, paradiſi oſtium. *Vides,* ait Chryſoſtomus, *quanta res ſit jejunium* [b]? *Angelos ex hominibus facit* [c]. *Quid aliud argumenti eſt, omnium bonorum atq; beneficiorum cardinem eſſe niſi jejunium conſtitutum* [d]? Iejunium certè non ſolùm perfecta virtus eſt Hieronymo, ſed ceterarum virtutum fundamentum & ſanctificatio [e]. Nil antiquius jejunio, in primo voluptatis horto imperatum eſt. Nil robuſtius jejunio: *Vnius mulieris jejunium,* inquit Ambroſius, *innumeros ſtravit exercitus ebriorum* [f]. Hinc idem Ambroſius [g] ipſos etiam quoq; puerulos & adoleſcentulos jejuniis aſſuefaciendos, itáque à vitiis revocandos acriter contendens: *Infrenent,* inquit, *teneram etiam ætatem jejunia, & parſimonia cibi retinaculis quibuſdam indomitas cohibeat cupiditates. Nam qui moderari neſcit cupiditatibus, ſicut equus raptatur indomitus, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur.*

[h] Complures jam ſuprà nominavimus, qui ſuas ipſi cunas jejuniis inſignierunt. His addimus lectiſsimum juvenem, juventutis facilè principem qui Romæ paucis ante annis ætatis anno ſeptimo decimo ſanctiſſimè



a *Aloë quā libri frons exhibet, eſt effigies illius Aloës, quæ Monachii anno 1634. in Electorali horto poſt plurimos (50. putāt) exigua ſtatura annos ſubitò in altitudinem viginti duorum pedum excrevit, hortenſe prorſus prodigiū. Rami umbellas ſeu flores viginti unum; flores ſinguli folliculos ſeu calyces centenos & tredecim habuerunt.*

b *Chryſoſt. tom. 3. in c. 13. Actuum Apoſtolorum hom. 17. mihi pag. 537.*

c *Idem tom. 5. hom. 1. de pœnit. mihi pag. 712.*

d *Idem ibidem pag. 771.*

e *Hieron. tom. 9 epiſt. ad Demitriadem.*

f *Ambroſ. to. 4. l. de Eliâ & jejunio. c. 3 mihi pag. 289. & c. 9. pag. 293.*

g *Idem tom. 1. lib. 3. de Virginibus, initio mihi pag. 105.*

h *Iac. Bidermannus in Vbaldino num. 7. mihi pag. 17.*

*Idque factitare cœpit anno ætatis duodecimo.*

mè obiit. Antonius Maria Vbaldinus Vrbinas Monteæ Comes, eo die ſemper quo epulum cæleſte accubuiſſet, aliud præter cibarii panis buccam nihil ſumere ſolebat, cibo autem reliquo ſic abſtinere, ut eum ipſe omnem cum bonâ parentum veniâ ad pauperes deferret. Et perfamiliaris hæc ei abſtinentia fuit etiam aliis diebus, quibus frequenter, cùm in ſpeciem cauſſari aliquid poſſet, menſæ paternæ ſe ſubducere conſuerat, & quaſi ſeorſim pranſurus aquâ purâ panéque victitare, aut venationis prætextu in noctem uſque impranſus hilariter durare: Lætus hoc commento, ſimul & ſuas cupiditates fregiſſe, & arbitros quà fas erat, fefelliſſe. Cæterùm ne domi quidem cùm inter ſuos puer diſcumberet, aut multi aut exquiſiti cibi erat: ſed aſpernatus ferè, ſi quid in dapibus lautum aut peregrinum ſaperet, plebejis ac ruſticis inſueſcere, veſcique communibus malebat.

*Heb. c. 12. v. 1.*

*P. Matthias Mairhofer.*

Habemus mi Lector, *impoſitam nubem teſtium*. Veteribus & recentibus exemplis ad abſtinentiam ſtrictiorem undequaque impellimur. In oculis omnium eſt, quod viſum ſubjungere. In hoc ipſo Monacenſi Collegio, in quo hæc ſcribo, vir nonagenarius eſt ſanus & valens ſine omni podagrâ & chiragrâ, ſine nephritide, ac calculorum valetudine, ratione ac ſenſibus integris omnibus, niſi quòd oculorum acies aſſiduis ſtudiis aliquantulùm fracta: & tamen, quod mireris, etiamnum pertinaci ſtudio libris inhæret, velut invenis legit, ſcribit, ſcriptáque luci publicæ parat, numquam otioſus; ſacris operatur quotidie, frugali & communi menſâ contentiſſimus, ex eâdem cum aliis ollâ prandet; cena illi majorem partem nulla, vel parca. Enimverò ad iſtud tantum ævi, ad annos nonaginta incolumis & ſoſpes, jucundus & hilaris pervenit (ultrà etiam, ut videtur, progreſſurus) diætâ ſtrictiſſimâ, abſtinentiâ & jejunio pæne quotidiano: nam quater quavis hebdomade jejunat, neque enim coctis ſolùm epulis ſed pane quoque arido & omni potu abſtinens, nec micam libat nec guttam. Sic omnes ſacri Adventûs & Quadrageſimæ dies religioſiſſimo quotidiano jejunio, tamquam annos triginta natus tranſigit: ita quidem, ut ſingulis hebdomadibus quater minimùm omni etiam cenulâ, ſeu veſpertinâ, quam appellamus, refectiunculâ penitus abdicatâ, verè & ex aſſe jejunet: tribus aliis diebus conſuetudini ſe attemperans ſub veſperam pane ac vino cibario eóque diluto parciſſimè utitur. Poterit hic Religioſus & propè centum annorum ſenex cum B. Hilarione dicere: *Septuaginta annis ſervivi Chriſto*; tot enim jam annos in minimâ Societate I E S V exegit laudatiſſimis moribus, inter curas & graviora ſtudia, jam ſexaginta annis ſacerdos.

*Hieron. in vitâ Hilarionis c. 38.*

En, obſecro, mi bone Lector, quid diæta, quid jejunium, quid abſtinentia poſſit; nonaginta & plures annos è facili donat, quorum dimidium abundans victus & gula rapere conſuevit. Millies & uſque millies incredulis etiam manduconibus, & popinonibus inculcandum: *In multis eſcis erit infirmitas; Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam*, multiplicabit annos, augebit ſcientiam & ſanctimoniam.

*Eccli c. 37. v. 33. & 34.*

*Littera data die 20. Septembris anno 1637.*

Dum hæc ſcribo, en Antverpiâ advollant tabellæ, quæ dicta novo firment teſtimonio. Ante annos undecim matrona fuit nobilis & opulenta Antverpiæ: hæc cùm annum ageret vigeſimum tertium, tam gravi correpta eſt morbo, ut viſum ſit medicis ægram ad ſanitatem reduci non poſſe; jam actum eſſe de valetudine ac vitâ. Illa igitur medicinam omnem ab Abſtinentiâ petere decrevit, idque tam ſalubriter ac feliter quàm animoſè ac conſtanter. Dixit, & fecit. Ab eo enim tempore vix quidquam aliud quàm decorticatum elixum hordeum in cibum, & aquam hordea- A ceam in potum admiſit. Hac tamen alimoniâ tam tenui ad annum uſque ſeptuageſimum primum commodè pervixit admirãdo quotidiani jejunii beneficio.

*Catharina nobiliſſimi D. Anſelmi vã dẽ Cruyce Antverpienſis Senatoris conjux, quæ demum in Religioſâ familiâ, uti & maritus, ſanctè vitam finiit, an. 1626. Maritus obiit anno 1619. Plura de nobili hac feminâ teſtantur brevi publica monumenta.*

Audimus hæc talia, nonnumquam & oculis ſpectamus viva virtutis exempla, ſed ad imitationem non peræquè accendimur. Laudamus abſtinentiam, ſed eam experiri recuſamus. Quâ in re potiſſimùm nos fallit Gula *Incredula* & *Inaſſueta*. Geminum & grande malum Primum: Incredulitas gulæ adeò nequam eſt, ut omnem exemplorum, rationum, argumentorum vim irrideat. Quidquid dicatur, nos malumus lautè largitérque comeſſe ac potitare, etiam cùm diſpendio valetudinis, quàm paullulùm eſurire ſingulari ſanitatis commodo. Tam malè cautus eſt ſui amor, ut pabulo vel ſubtracto, vel paullulùm imminuto, mox valetudini aliquid deceſſurum vereatur: Non poterimus, ajunt dormire; caput dolebit, inanis ſtomachus B latrabit, vires deficient, labores nimiùm exhaurient. Mille talia ſomniamus, quando jejunium horremus. Nemo nobis nec Apoſtoli, nec ipſe Chriſtus contrarium perſuaſerit. Increduli ſumus. Abſtinentiæ cùm utilitas, tum neceſſitas tot libris deſcribitur, è tot cathedris docetur, tot rationibus & argumentis evincitur, tot exemplis demonſtratur, tot experientiis iiſque ferè quotidianis confirmatur. Nihilominus nec libris, nec cathedris, nec argumentis, nec exemplis, nec ipſis credimus experientiis: nimiam virium debilitatem, & neſcio quid mali metuimus. Ita umbras meriſſimas formidamus. Optimè, quod ſuprà demonſtratum, dixit Athanaſius: *Nec credas ſuadentibus, ne jejunes. Eſca ventri, & venter eſcis; Deus autem & hunc & has deſtruet*. Illis igitur crede, qui & ſapiunt, & abſtinentiæ commoda deliciis omnibus anteponunt. Gulæ tuæ incredulitatem quotidianis ſtudiis expugna, & brevì à ſenatu ſapientum ſtabis. Novimus in aulâ C Sereniſſimi Electoris, Bavariæ Ducis, &c. Maximiliani, viros magnos, illuſtres, ſed & ſanos ac robuſtos, imò etiam crebris profectionibus occupatos, qui adeò cenam omnem, velut lege, abdicarint à ſe, ut eſculenti nihil aut poculenti, nec panem quidem aut vinum libent, idque ſibi plurimùm conducere palàm affirment. Aude hoc experiri, quiſquis es incredulæ gulæ, & idem cum illis ſenties. Si ſeriò ſanitatem amas, hanc jejunii Aloën glutire ne horreas.

*Duo ma[...] ab abs[...] nentiâ [...] trahunt. 1. Gula in[...] credula.*

*Athana[...] 3. de v[...] nitate, [...] de medi[...] tione. 1. Cor. 6. v. 13.*

Primum igitur quod nos ab abſtinentiâ retrahit, obſtaculum eſt, *Gula Incredula*. Illo non minùs alterum, *Gula Inaſſueta*. Nos ſcilicet animalia, ut muli putant, paſtui nata, quotidie bis ad præſepe plenum ſtare aſſuevimus; bis de die aut etiam ſæpius cibo refici in cunis conſueſſe cœpimus. Hæc aſſuetudo longa, quotidie non prandere tantùm, ſed & cenare, adeò nos ſibi devinctos tenet, ut quiſquis jam contrarium ſuadet, hoſtis habeatur, & novæ ſectæ promulgator. D Duriſſimum nobis videtur ab aſſuetudine tam antiquâ recedere. Semel dumtaxat in die paſci triſte piaculum cenſetur. Sint iſta Monachis, ajunt, nos aliter aſſuevimus. Non eſt vivere, ſemel tantùm de die comeſſe. Adverſus hanc conſuetudinem Chryſoſtomus pugnans: *Obſecro*, ait, *ne conſuetudini temerè ſerviamus, ſed ratione res noſtras inſtituamus. Chriſtum non jejunantem tentat diabolus, ſed eſurientem; ut ſcilicet diſcas, quàm ſit bonum grande, jejunium, & quia hæc adverſus diabolum arma ſint maxima. Dolet in jejuniis caro, ſed epulatur anima. Ne attendas ad laborem ſolùm, ſed etiam ad fructum. Labor quidem nobis eſt in jejunando, at nondum pro Domino* I E S V *crucifixi ſumus. Quare autem jejunium pro cruce eſt? Majora ipſe tulit, parva nos reddimus. Crucifixus eſt propter te, & ſitit, & bibit acetum cum felle propter te; quid tu propter ipſum? ſtas in labore? nondum pependiſti in cruce. Ne ſis ingratus erga Dominum* I E S V M, *ne deplora, quòd jejunas; ſed plora, quòd non ſemper jejunas*. (*Hoc obſecro, altè infige animo;*

*2. Gula in[...] aſſueta.*

*Chryſ. [...] in c. 1. Ge[...] hom. 1. Seu, jejuna[...] re non [...] pientem. Chryſ. [...] 2. in c. 4. Matth. [...] 13. mihi Idem to. [...] pag. 100. ſer. 1. de j[...] junio. [...] pag. 774. Idem [...] mihi pag. 778.*

*mo; non plora, quòd jejunas; ſed plora, quòd non ſemper jejunas.) Qui non compatitur* IESV, *ignorat* IESVM; *qui repellit jejunium, ignorat crucem, quæ ut non eſt mala, ita nec tu eam quaſi malam ſuſpiceris, ne ſit fœdus ſervus, qui miniſter eſt Dei.*

Ambr. to. 3. ſerm. 25. de quadrageſ. mihi pag. 307.

Hæc oris & calami aurei præcepta Ambroſii verbis conſigno: *Murus eſt Chriſtiano jejunium, inexpugnabilis diabolo, intranſgreſſibilis inimico. Quis enim umquam Chriſtianorum jejunavit, & captus eſt? Quis ſobrius manſit, & victus eſt? Temulentum aggreditur diabolus, luxurioſum aggreditur inimicus. Vbi autem jejunium videtur, fugit, metuit,* A *terretur, pertimeſcit; debilitatur inediâ, infirmitate proſternitur. Proſternitur, inquam, infirmitate, quia Chriſtianorum infirmitas fortitudo eſt. Caſtra ergo nobis ſunt noſtra jejunia, quæ nos à diabolicâ oppugnatione defendunt.* Gula telum diaboli; tu ſume ſcutum fidei, loricam ABSTINENTIÆ.

Cùm infirmor, tūc potens ſum. 2. Cor. 10. v. 10.

Ego hîc tundo pectus meum, & manus meas ad cælum extollo, atque cum beato Hieronymo, coram orbe univerſo liberrimè pronuntio? *Dicat quiſque quod volet, ego loquor conſcientiam meam: Scio mihi Abſtinentiam & nocuiſſe intermiſſam, & profuiſſe repetitam.*

Idem to. 5. l. 4. Comen. in Evan. S. Lucæ mihi pag. 49. Hiero. to. 6. in c. 1. ep. ad Titum v. 7. pag. 200.

Finis Librorum de Iejunio.

---

# DELICIÆ GENTIS HVMANÆ CHRISTVS JESVS NASCENS, MORIENS, RESVRGENS, ORBIS AMORI PROPOSITVS:

## PARS PRIMA.

## CHRISTVS NASCENS.

Iſaiæ IX. verſ. VI. & VII.

*Parvulus natus eſt nobis. Factus eſt principatus ſuper numerum ejus. Pacis ejus non erit finis.*

### CAPVT I.

*De figuris & vaticiniis Chriſti Naſcentis.*

QVÆ de Chriſto NASCENTE tradituri ſumus, ea duodecim omnino capitibus exſequemur; dicturi ordine de Chriſti Nati vaticiniis & oraculis, de tempore, loco, de parentibus, de obſequiis Chriſto Nato delatis, de ipſo infante divino Domino IESV, de Angelorum & totius cæli ſymphoniâ & applauſu, denique de Chriſto Nato, à Magis adorato.

§. I. *Hebræorum vatum oracula.*

Figura Chriſti: Moſes in flumine expoſitus.

NAtus Moyſes, cogente Pharaonis imperio à matre ſuâ in fiſcellam ſcirpeam pice litam compoſitus fuit, & expoſitus in publicum flumen. Puella regia Pharaonis filia, cùm ad aquas illas deſcenderet B lymphis recentibus corpus tinctura, vidit ſportulam, & juſſit adferri. Mox ominata quod res erat, *De infantibus*, inquit, *Hebræorum eſt hic.* Exemptum inde elegantem infantulum, ſibi eum in filium educari præcepit. Synagoga, noverca peſſima, Chriſtum Naſcentem expoſuit: nam eum ad pecudum habitationem amandavit, Eccleſia recepit.

Exod. c. 2. v. 6.

Synagoga Chriſtum naſcentem expoſuit Eccleſia verò recepit.

Iſaias anno à mundi cunabulis ter milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo vaticinatus eſt de Chriſto naſcituro, ſexcentis minimùm annis antè natum. Inter illuſtriora ejus vaticinia & hæc ſunt: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus. Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium David, & ſuper regnũ ejus ſedebit, ut confirmet illud.* Hæc verba eleganter admodum Euſebius Emiſſenus explicans: *Natus eſt nobis*, inquit, *qui ſibi*

Iſa. c. 7. v. 14. & 15.

Hoc eſt, nobiſcũ Deus.

Iſa. c. 9. v. 6. & ſeqq.